



**Oratio de artibus, futuro iurisconsulto & necessarijs &  
frugiferis, comparandis. : Item Consilium de compendiaria  
discendi Iura Ciuilia, ratione.**

<https://hdl.handle.net/1874/454786>

2

# ORATIO

DE ARTIBVS, FVTV  
RO IVRISCONSVLTO  
& necessarijs & frugis  
feris, compa  
randis.

I T E M

# CONSILIUM

VM DE COMPENDI  
aria discendi Iura Cui  
lia, ratione.

Authore Christophoro  
Hegendorphino.

Haganoæ apud Iohan. Secer.

Anno M. D. XXIX.

Mense Iulio.

# ILLVSTRIS

SIMO PRINCIPI AC DOMINO,  
no, Domino Philippo Heflorum  
Principi, optimarum literarum Mae-  
cenati benignissimo, Christo-  
phorus Hegendorphinus  
fœlicitatem optat.



PVD priscos illos  
homines, Princeps  
illustriſſime, hoc in  
iuuentute inſtituen-  
da etiam atq; etiam  
obſeruabatur, ut  
ea p̄ gradus quorū-  
dā & ſtudij ſinifimis  
ad ſublimiora aſcenderet. Sic iuuentus pri-  
mum tradebatur Grāmaticis, apud quos,  
cum iam ſatis in his quæ Grāmatices ſunt,  
exculta & detrita eſſet, Rhetoribus erudien-  
da cōmittebatur: qui cum & ipſi ſuum offi-  
cium deſuncti eſſent, Iuuentutē excipiebāt  
Philoſophi, qui quaſi extremā, ut ita dicā,  
manū in Iuuentute ad unguem efformāda  
imponebant, qua tam docendī, q̄ diſcendī  
ratione, & plurimi in ſublimi doctrinarū  
genere excellentes euadebant: quod, ut Fa-  
bius inquit, ad ſumma præcedētib; iniq̄s

## EPI. NVNCVPATORIA.

facile perueniatur, & sublimes illæ artium  
professiones diu illibatæ conseruabantur,  
quod nullo alio pacto sublimia illa artium  
genera diutius floreat, q̄ si recta uia & suis  
annis à Iuuentute adeantur. Priscum illud  
erudiendi Iuuentutem institutū, & à maio  
ribus nostris, qui quondā Academijs pro  
uehendis præfuerunt, adūbratum est. Siqui  
dem & illi in Academijs hoc instituerēt, ut  
ubi iuuenis ludū, ut ita dicam, cōpitalitium  
egressus, in academiā se recepit, & ibi alii  
quandiu artibus illis leuioribus, uti putan  
tur, Grām̄maticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ,  
iustam operā nauauit, Baccalaurei coronā  
accipiat. Deinde simul & Philosophiæ stu  
dijs sese excoluit, Magisterij titulo donetur,  
quo donatus, ei ad sublimiores illas artium  
professiones, Theologiā, Iurisprudētiā,  
Medicinā, aditus concedatur. Sed hoc secu  
lo, Iuuentus his saluberrimis maiorū institu  
tis una cū bonis literis fastiditis, quum pri  
mum nomina flectere, uerba cōiugare po  
test, aliquando cū hæc non potest, Theolo  
giæ, Iurisprudētiæ, Medicinæ se destinat.  
At dum Iuuetus studijs illis minoribus cō  
temptis & neglectis, ad maxima tā illotis,  
quod aiunt, pedibus irrūpitur, fit, ut citius  
Cacologū q̄ Theologum, Empiricum, q̄

EPISTOLA NVN<sup>e</sup>

Medicum, Rabulam forensem, quæ Juriscon-  
 sultum cōspiciamus. Sicque præter bonas lice-  
 ras, quæ, dū quilibet illis contēptis, ad sum-  
 ma festinat, pessum eūt, etiam sublimes illæ  
 artiū professiones, meræ fabulæ fiūt. Dum  
 enim nulla pro eo atque decet, a Iuueture ex-  
 colitur, aditur, somnijs similima, quantū  
 uis sublimia & diuina sint studia habentur.  
 De Theologiæ iuxta Medicinæ cādidatis in  
 præsentia a me dicitur nihil aliud, quæ quod  
 nō male studijs suis cōsulturi sint, si prius bo-  
 nas literas diligētissime persequātur, quam  
 illa uere diuina studia adeāt. Ad Iurispruden-  
 tiam uenio, quæ hoc tēpore adeo omnibus  
 arridet, ut nemo non Iuriscōsultus euadere  
 cupiat. Et nō improbro quidē, quod Iuuen-  
 tus Iurisprudentiæ studio adeo capitur, est  
 enim digna quæ a Iuene liberali discatur,  
 quod hæc una Respublicas iūgat, & iūctas  
 conseruat. Sed quod hæc, tam immature a  
 plerisque aditur, id uero improbro: rapit ple-  
 rosque ad huius professionis studiū fames rei  
 pecuniariæ, illicit aliū ad hanc professionē  
 ambitionis sitis, sed dū uel inopiæ ergo, uel  
 ambitionis studio ad istā sacrosanctam artē  
 prouolamus, fit, ut ex Iurisprudētia mera  
 concertandi, & lites litibus serendi scientia  
 abeat, Ego sane Princeps illustrissime, ut Iu-  
 uentutem,

CVPATORIA. 193

uentutem, si non omnem, nā id fieri qui potest: at aliquē in rectam Iuris Ciuilis assequēdi uia inducerem, orationem quandā scripsi, in qua, quibus artibus, ijs qui cōpendio ad Iuris Ciuilis absolutā cognitionem peruenire uolūt, opus sit, præmōstro. Illa uero oratione nullius iudicio præiudicasse uolo. Si quæ est, cui hæc mea uia displicet, & rectior & cōpendiosior ad Ius Ciuile recte & sceleriter consequendū Iuuentuti mōstrare poterit, eū non tantū lubenter auditurus sed ei etiā gratias Iuuentutis nomine acturus sum, quod eā, quæ optima est, ad Iura Ciuilia perdiscēda, uia indicare nō destitit. Cæterum, quādo hoc tempore nemo satis tutus aduersus calūniatorum uirulentiam esse potest, ego quoque plerorūque oblatrationes in me exorituræ præuideo, quibus, si etiā uerbis respōdeas, Laterē lauas, adeo præ oblatrationibus nullius etiam iustissimam uel re spon sionem uel purgationē accipiunt. Proinde tu Princeps illustrissime, inter alios occurristi, cui quicquid est laboris nostri dedicarem. Tū, quo ut iā dixi, mihi esset qui calumniatorum oblatrationibus retūdendis par esse possit. Nec dubito quoniam tua gratia pro singulari in omnes studiosos studio mihi paterni, & quidem lubens præstatura sit. Tū

## EPISTOLA NVN

ut meū si quid modo id ad rem facit, singu-  
 larem erga tuam illustrissimā gratiam ani-  
 mum declararem. Non enim uerbis con-  
 sequi possum, quam totus tuæ illustrissimæ  
 gratiæ addictus sim, quod ea Academiā  
 in qua bonæ literæ ab interitu & ruina uin-  
 dicentur, eo tempore erigit, quo pleriq; bar-  
 bariei patroni nihil prius malint, quam lite-  
 ras bonas prorsus extinctas esse, ut suæ Ty-  
 rannidi Barbaræ rursus locus esse possit.  
 Sed maeste animo esto, Princeps illustrissi-  
 me, & bonas literas quæ profecto nisi a re-  
 tuiq; similibus Heroibus iuuentur, grauem  
 cladem accipient, conseruare & tueri per-  
 gito. Tua gratia mihi hoc credat se hac in  
 re & Deo nihil grauius, & toti terrarū orbi  
 nihil salutaris facere posse, literis em̄ per-  
 ditis ad pristinā illā morum feritatem totū  
 orbem rediturū quis dubitat? Sed quid  
 moror? Ego si hoc meū munusculum tuæ  
 gratiæ gratum fore sensero, animū ad alia  
 studiosis non minus frugifera, quam ora-  
 tio hæc esse poterit tractanda, desumam.  
 Iesus Christus tuā illustrissimam gratiā ro-  
 ti Prouinciæ, & omnibus bonarum litera-  
 rum sectatoribus diu seruet incolumem &  
 florentem,

PROTE

# CVPATORIA.

PROTESTATIO ad lectorem.  
LECTOREM candidum monitū uolo, ne, si in oratione mea aliquādo a me uel Accursium uel Bartholū perstringi, si modo perstringuntur, dum eorū errores adeo manifestos profero, legerit, in animū inducat credere me aut uiris tātis nihil tribuere, aut illos indignos qui legantur, existimare, sed in eā potius partē accipiat lector uolo, quod dū uel Accursij uel Bartholi errores, in quos bonarū literarum inscitia prolapsi sunt, bono sane animo ostendo, me partim iuuentutē Iuris Ciuilis studiosam admonere uelle, ne, cū hoc seculo bonas literas sine omni negotio cōparare possit, earū neglecta in legibus eadē sæpe chorda & cum Accursio & Bartholo oberret. Partim ne adeo fidat interpretibus ueteribus, quasi quicquid illi dixerint, oraculi uice adorandum sit. Homines quidem Iuris Ciuilis non imperiti fuerunt, sed homines tamen & bonarum literarum, sine quibus Iuris Ciuilis studium infeliciter procedet, prorsus ignari. Proinde si quis eos legere cupit, iudiciū & quidem exactū desiderant. Hæc protestari libuit, ne aliq̄s morosior, uno aut altero loco orationis meæ offensus, me omnes interpretes Iuris in ordinē cogere uelle arbitret.





**T**HENIEN (se  
populi Græcorū,  
longe prudentissi-  
mi, cum, qui sciens  
erranti uia non mō  
straret, e numero  
ciuium eijcere sole-  
bant. Etenim uide-  
bant homines sum-

ma sapientia præditi, & quanti referat,  
uiam eo quo contendas probe explora-  
tam habere, & quanti minori compendio  
is, quo uult, perueniat, qui recta uia in-  
cedat, quam qui deuius, omnem, ut Plau-  
tus inquit, ad mare ducem sequatur. Et  
laudandi sane sunt, mea quidem senten-  
tia, Græci illi hoc nomine, quod ijs, qui  
iter ingressi per uaria uiarum pericula, per  
tot discrimina rerum grassantur, & suis po-  
pularibus itinerum mōstratione recte con-  
sultum uoluerint. Et adeo serio uoluerint,  
ut ei qui non erranti uiatori uiam mon-  
strasset, fraudi esset: at quanto magis lau-  
dibus, tantum non in cœlum ferendi hi,  
qui studiosos iuuenes incertis errantes iti-  
neribus, in rectam studiorum uiam indu-  
cunt. Cum quod permagni refert, quam  
uiam quis in studijs ab iniuo statim insitat.

Tum quod

O R A T I O

Tum quod citius ad eruditionem aliquam  
 perueniunt, qui certos uiā studiorum du-  
 ces sequantur, quam qui errabundi incer-  
 tis uagantur itineribus. Et, ut laude, uel  
 longe maxima digni sunt, uiā, quæ com-  
 pendio ad studia perducit, monstratores,  
 ita merito exterminandi, e bonorum ho-  
 minum contubernio eñciendi erunt, qui  
 & scientes & uidentes errabundam Iuuen-  
 tutem, non in ueram studiorum uiam,  
 reducant, inuident enim Iuuentuti, &  
 eam concepta de studijs spe ludificari si-  
 nunt, quando fieri non potest, ut Iuuentus  
 aliquid precium operæ, aliquid in signe in  
 suis studijs aut consequatur, aut edat, nisi  
 rectum iter ingressa sit, id quod cum apud  
 me non raro reputarem, non raro mira-  
 tus sum, quinam fieret, quod, cum isto  
 seculo Iuuentus adeo legum Ciuilium stu-  
 dio ardeat, ut præter hæc studia fere ada-  
 met nulla, tamen nemo existat, qui ei uiam  
 certam monstraret, quam ingressa in legi-  
 bus Ciuilibus perdiscendis, & facile & fœ-  
 liciter progrediatur. Fugiunt pleriq; ut mi-  
 hi quidem uidetur, laborem, qui hac  
 in re subeundus est, pleriq; magnam o-  
 dij flammam ex isto labore inducendi, Iu-  
 uentutem in compendiarium Iuris Ciuilis

## D E A R T I B V S

perdiscendi uiam, exorituram prouident  
 tes malunt Iuuentutem perpetuo errare,  
 quam tanto odio conflagrare. Cæterum,  
 quando, ut proximo recte consulatur, o  
 mnis labor deuorandus, omnis inuidiæ  
 tempestas subeunda est, ego cum alius pro  
 deat nemo, nullum laborem pertæsus, nul  
 lum inuidiæ incendium pertimescens, quo  
 prima discendum iuuentur studia, in pu  
 blicum uenio, uiam Iuuentuti meo iudic  
 io eam monstraturus, quæ compendio  
 ad solidam legum Ciuiliū eruditionem,  
 perduxerit. Nec hic ualde reformido ui  
 rulentas quorundam obreçtationes, qui  
 clamitaturi sunt, me eam alijs uiam indica  
 re quam ipse nunquam ingressus sum, fate  
 or me nondum eo progressum, ut in omni  
 disciplinarum genere insigniter excellam.  
 Obstitit uero non ignauia, non adeo ob  
 tusus circa præcordia sanguis, sed par  
 tim rei familiaris angustia, qua non raro  
 foelicissima quæq; ingenia, tam pereunt,  
 quam extrema faba, ut uulgo dici solet.  
 Partim temporum, quibus ego puer scho  
 lis operabar, calamitas. Nam dum ad  
 humanitatem initiandus essem, Alexãdri  
 Galli, Petri Hispani, & huius moneræ au  
 torum nugis aures personabant meæ. Cæ  
 terum,

O R A T I O

terum, si quid *το ὀπίμαδὸς* uel ingenium, quod mihi contigit mediocre, si quid diligentia & efficere & consequi poteris, me non omnino nullam in bonis literis frugem fecisse confiteor. Et, ut nihil aliud hoc certe Dei Optimi Maximi benignitate consecutus sum, ut qua uia ad literis Ciuilibus studia, dextero Mercurio, pertractanda Iuueni incedendum sit, medio criter perspectum habeam. Nec hic meo tuo eos, qui me, si in plerisque maiorum meorum sententia & institutis discessurus sum, sciolum quendam & oculorum Cornicis, ut in prouerbio est, confosorem esse traduxerint. Non per omnia, cur enim dissimulem? cum maioribus meis sensurus sum, sed quid tum? Notum est illud Ciceronis, te tua, me mea delectant. Et si, ut quidam ex septem sapientum Græciæ numero dixit, usque ad aras amicis concedendum est, quid mirum, si maioribus meis amicissimis hactenus assensero, quatenus uero non aliena affirmauerint, adstruxerintque. Sed quid eos præfando, tam diu remoror? Quid in aduersariorum obiectionibus refellendis tam anxie aucupor? Ego, quæ mihi ad legum Ciuilium studia properanti uia uideatur, com-

DE ARTIBVS

modissima, libero quidem, sed ut me Christus amet, candido animo ostensurus sum, quæ, si cui uestrum displicuerit, aliam ingrediaur, per me licebit. Et ne uos iam dudum uix a me propositæ cupidos, diutius suspendam, hanc ego ad legum Ciuiliu studia fœliciter tractanda, optimam uiam esse existimo, ut quis prius se bonarum literarum uiatico instruat, quam iter discendi Iura Ciuilia capeat. Et ne quis uestrum, optimi iuuenes, erret, bonas literas appello artes discendi, cuiusmodi est Grammatica, Dialectica, Rhetorica. Bonas artes uoco, historiarum iuxta Poeticas cognitionem. Bonas artes nomino, Philosophiæ partes, quarum una naturæ arcana indagat: altera, mores Ciuiles fingit. Deniq; bonas literas appello tam Græcæ, quam Latinæ literaturæ cognitionem, quæ hoc nomine bonæ literæ uocantur, quod cum alijs sublimibus artium professionibus, tū Iurisprudentiæ ad prime bono existūt, id quod dum singulatim cōprobaro, uos quæso, uti cœpistis, benignas mihi dicenti præbete aures.

Principio, nemini uestrum, opinor, clam est Iurisprudentiam hac gratia amplectendam, ut aliquando eos, qui in rerum suarum

O R A T I O

suarum discrimen uocantur, in rerum sua-  
 rum possessione retineamus, pupillos op-  
 pressos subleuemus, uiduis iniuria uexa-  
 tis succurramus. Denique, ut Respub. se-  
 ditionibus intestinis laborantes, in con-  
 cordiam mutuam redigamus, consilio-  
 rum inopes, prudentia nostra iuxta consi-  
 lijs nostris ex Iurisprudentum, fontibus  
 haustis expediamus. Non enim frustra  
 apud Ciceronem Mutij Scaeuolæ Iurispru-  
 dentissimi domus, oraculum ciuitatis fuis-  
 se dicitur, quod ciuitas ex ore Iurisconsul-  
 torum non secus, ac ex Deorum oraculis,  
 rerum omnium suarum, cum remedia,  
 tum iusta petere & debeat & possit. Nec,  
 ut mihi uideatur, frustra, Imperator Iustinia-  
 nus in hoc operam Iuri discendo dandam  
 hortatur, ut aliquando Rempublicam gu-  
 bernare possimus: ut uero is, qui Iuri ope-  
 ram nauauit, tam priuatis, quam publicis  
 hominum rebus recte, & prudenter con-  
 sulere queat, oratione opus est, qua id  
 quod animo & sentit & intelligit, emen-  
 date, splendide, diserte eloqui ualeat, ut  
 hi qui adsunt, intelligant, quid sibi uelit,  
 qui dicit, ut cupide audiant, ut fidem faci-  
 at is, quæ dicit. Vt emendate dicat, Gram-  
 matica remedio fuerit, ut quæ nihil aliud

DE ARTIBVS

est, quam emendate & aperte loquendi scientia. Ut splendide dicat, Rhetorica docebit, quæ phaleras orationis, cultumq; & omnes inescendarum aurium illecebras, commonstrat. Diserte uero & distincte disserendi architectrix Dialectica existit. Notum enim est, quomodo Dialecticam finiat Cicero, nempe eam disserendi rationem esse. Quid uero aliud est disserere, quam ordine et distincte de aliqua re dicere? Cõpendio igitur ad Ius Ciuile tendit, qui in his tribus disciplinis, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, et bene et fortiter prælit. Sed agite altius &, ut dixi, singulatim repetamus, quam compēdiosam ad parādam Iuris Ciuilis cognitionem, uiam præmuniat sibi is, qui in iam dictis artibus multum ponit operæ. De Grammatica quidem quid multa commemorem? quum res ipsa doceat Iurisconsultum existere posse neminem, qui non & emendate, & proprie loquendi scientiam teneat. Quomodo enim de Iure consultus respondebit is, qui quomodo id quod animo concepit, pure & proprie eloquatur, prorsus ignorat. Tum, qui nam consultor eum quid dicat, intellexerit, cuius os adeo barbaris ac Solœcismis scater, ut mirum sit si se ipsum

# O R A T I O

ipsum intelligat. In consilijs laterem, ut in  
 prouerbio est, lauerit Iurisconsultus, nisi  
 aperto quid consilij in animo habeat, uer-  
 bis exprimat. In publicis cōcionibus sure  
 re existimabitur, qui multa quidem uerba  
 profundit, sed adeo obscure, ut uix sortes  
 Delphicæ obscuriora dixerint. Quid in le-  
 gum interpretatione efficiet Iurisconsultus,  
 qui sermonem omnibus uitjs scatentem ef-  
 fundens rudere potius, quam loqui uidebi-  
 tur, breuiter frigebit in omnibus rebus lu-  
 risperitus, aperta illa & emendata loquen-  
 di ratione, quam Grammatica docet, desti-  
 tutus. Adhæc, Grammaticam, hoc est, pu-  
 ram & propriam loquendi rationem à Iu-  
 risconsulto exigi, & illud arguit, quod in Iu-  
 re Ciuili tam crebro uocum Erymologiæ  
 enodantur. Quid uero aliud est Erymolo-  
 gia, quam Grammatica uocum expositio?  
 in L. ij. ff. si certum petatur. Mutuum in-  
 quit Iurisconsultus dicitur quia de meo fit  
 tuum, in L. prima. ff. de Testamentis. Te-  
 stamentum, inquit Iurisconsultus, est dictū  
 quasi testatio mentis. Grammaticam & Iuris-  
 consulto requiri declarat titulus Pandecta-  
 rum de rerum & uerborum significatione,  
 in quo aliud tractatur nihil, nisi quod uo-  
 ces legibus Ciuilibus peculiare, ita ut Grā



## D E A R T I B V S

matici facere solent, exponuntur. Porro quod Pedius Iuriscōsultus in L. Lanionis. ff. de fundo instructo memorię prodidit, optimum esse nō propriam, hoc est, ut ego interpretor, Grammaticam uerborum significatiōē scrutari, sed potius quid testator uoluerit sequi, non profecto eo, quo pleriq; barbari sermonis patroni, obliquo collo abripiunt, tendit, quod nihil refert, quibus uerbis Iuriscōsultus utatur. Nec interesse proprietatem ne sermonis dicendo tueatur, an improprie, & ut in buccam uenerit loquatur, sed si Pedij uerba pensitētur, de testatore intelligemus, qui cum aliquādo aliud sensisse uidetur, quam uerbis expresserit, non tam anxie uerbarimanda esse, quam sententiam eius sequendam. At uero ridiculum est, quod testatori in ultima uoluntate, quæ præter cætera pluribus prærogatiuis gaudet, conceditur, ad Iuriscōsultorū sermonem traducere. Quid quod nec in testamento & propria uerborum significatiōe recedendum est, nisi liquido constet, aliter sensisse testatorem, L. non aliter in Pandectis de Legatis tertio. Vide rit igitur Bartholus, uiderint plerique alij, qui ex L. Lanionis suæ Barbariei, & Acy rologias in loquendo patrociniū querunt.

Et de Gram

## O R A T I O

Et de grammatica quidem quod iuriscōsul-  
 to & necessaria sit, & ab eo exigatur satis di-  
 ctum est. Venio ad Rhetoricā, quæ non mi-  
 nus quam Grammatica, ei qui iuri Ciuili  
 discendo destinatus est, ut necessaria ita op-  
 pido frugifera fuerit. Nemo non nostrum,  
 fat scio, iuri ideo operam nauat, ut aliquan-  
 do in iudicijs uersans, & accusare impro-  
 bos, & defendere probos, tum si res ita fe-  
 rat, postulare possit, aut si hæc sordida &  
 humilia uideantur, in urbe quadam publi-  
 cum munus gerens subditis, quæ salutaria  
 sunt suadere, quæ noxia dissuadere queat.  
 Aut si nec hoc cordi sit, ut tandem in prin-  
 cipum aulis regnet. At unde quæso melius  
 unde rectius accusandi, defendendi, postu-  
 lādi, suadēdi, dissuadendi, cōsilia principi-  
 bus dādi rationes perdidicerit, quam a Rhe-  
 toricā, quæ tota in hoc sita est, ut ea quæ  
 iam recensui accurate tradat. Id quod tam  
 uerum esse, quam Apollinis oraculum exi-  
 stit, audite paucis. In quacunq; causa quā  
 acturus es, initio quodam utaris oportet,  
 quo, si accusator existis, reo iudicem iratū  
 facias: si defensor, iudicem ad beneuolen-  
 tiam deflectas, quod si neutrius horum offi-  
 cio fungaris, aliquo tamē exordiolo in cau-  
 sam ingrediaris necessum est. Vnde uerō

B

DE ARTIBVS:

melius exordiorum rationes hauseris, quibus  
 ex Rhetorices libris, qui ex instituto in hoc  
 scripti sunt, ut ex illis quicquid ad recte be-  
 neque dicendum conducit, perdiscamus. Narra-  
 turus es causam tuam, erras si aliunde quam  
 e Rhetorices præceptis narrandi lucem, bre-  
 uitatem, probabilitatem petas. Proposueris  
 id quod argumentis conficies, uel ut  
 iurisconsulti loquuntur, litē contestaturus  
 es, id multo oïum foelicissime feceris, si Rhe-  
 torum præcepta hac de re calleas. Probare  
 uis, id quod proposuisti, refellere cupis ea  
 quæ pro se aduersarius tuus attulit, toto  
 quod aiunt, cœlo erras, si nō ex Rhetorices  
 præceptionibus ea quæ uel causæ tuæ prodes-  
 se possunt, uel aduersariorum argumēta re-  
 futare, te deprompturum putaueris. Quid  
 commemorem illud, quod si uel testes pro-  
 ducturus sis, uel dicta testium infirmare, uel  
 in testes ipsos orationis mucronem intē-  
 dere uelis, te ex nullis alijs libris efficacius,  
 & ut Græci dicunt, *ἄριστος* hæc  
 præstare posse, quam ex Rhetorices monu-  
 mentis nemo opinor negauerit. Et utinam  
 animum induceret credere ea quæ in Cice-  
 ronibus, quæ in Fabij de Rhetorica libris, me-  
 moriæ prodita sunt, ad usum forensē ue-  
 hementer

hementer conferre, non dubito, quin in illorum libros diligentius incūberet, nec illis prætermisiss ad iuris studia, *πρὸς ἵπ, ὡς. Φα*  
*οι, ἀνὶ πρὸς* irrumperet. Sed quādo ad epistolā tantum conscribendas ad theatralem declamādi usum, ea quæ de Rhetorica uel Cicero uel Fabius scripsit, literis mandata esse sibi persuadet, illa fere uti fit, dum uerū usum ignoramus, contemnit, putans ea ad solū scholarū usum in libros relata existere. Cæterum quibus præceptionibus adiutus Hortensius, Crassus, Cælius, deniq; Cicerō, & alij oratores quōdā clarissimi, causas non inferiores his, quæ hoc nostro seculo usu uenire possunt, tanta omnium aggratulatione, tanto omnium applausu egerunt. Nullis sane alijs præceptionib. quam his quæ ad nos posteros monumentis prærogatæ sunt. Et ut maxime aliqua in nostris iudicijs (de præceptionibus loquor) a ueterum in causis agendis cōsuetudine uariant, tamen magna & bona ex parte non tam ouī ouō simile est, quā ratio qua nos in causis agendis utimur, rationi ueterum similis existit. Id quod uerum esse, argumētō sunt adhuc rhapsodiæ illæ exemplorū agendi causas, uel ut nostrates loquuntur, libelli instituendi formulæ, iuxta Rhetoricā

## DE ARTIBVS.

In Germanam linguam transfusa, quæ Rhe-  
 torum de arte dicendi præceptiones non ni-  
 hil quidē, sed mire infœliciter referunt, nã  
 quando uerũ est illud Martialis. Multũ cre-  
 de mihi refert a fonte bibat Qui fluit an pi-  
 gro quæstuper unda lacu. Melius ergo me-  
 lius illæ quæ & ad agendas causas & ad di-  
 cendum faciunt, formulæ ex puris Rhetor-  
 rum fontibus deriuantur, quam e sordidis  
 formulariorum lacunis. Nec omnino infœ-  
 liciter possem ostendere eas, quæ iam in fo-  
 ro receptæ sunt, agendarum causarum ra-  
 tionēs, cum Rhetorum præceptis parũ ad-  
 modum dissidere, nisi id & paucis a me fe-  
 ri non posset, & cum non paruo tædio cõ-  
 iunctum esse uideretur. Quod si Deus opti-  
 max. & uitam nobis prorogauerit, & stur-  
 dia nostra, uti speramus, instituta fortuna  
 uerit, iusto quodam uolumine cõmonstra-  
 bimus, illas de agendas causis, a pragmati-  
 cis nescio quibus & conscriptas, & uelut  
 per manum traditas formulas cum Cicero-  
 nis, tum Fabij de arte Rhetorica præceptio-  
 nibus, non admodum discrepare. In præ-  
 sentia satis sit, me paucis ostendisse, quam  
 compendiarã uia ad usum forensem, quia  
 plerisque legum studiosis unice expeditur,  
 existat, in Rhetorum præceptionibus mul-  
 tum & diste

# O R A T I O

num & diligenter desudasse. Præterea futu-  
 rus iuriconsultus causam quam agendam  
 suscepit, ita eloquatur oportet, ut non qui au-  
 diunt & admiratione & uoluptate capian-  
 tur. Siquidem nisi hæc oratione sua iurisco-  
 sultus præstet, & insuauis erit, & tædio au-  
 ditorum animos enecabit. Vt uero admi-  
 rationi sit, ut demulceat auditorum aures,  
 præcepta elocutionis, a ueteribus Rhetori-  
 bustradita, effecerint. Etenim inde ea, quæ  
 ad illustrandam orationem, quæ ad deliniē-  
 das hominum mentes faciunt, ueluti e Co-  
 piæ cornu depromet. Sub hæc cum & cō-  
 positio orationis iuriconsulto obseruāda  
 sit, ut cum maxime, quid de illa in formu-  
 latorum centonibus dignum lectu cōscri-  
 ptum extet, non uideo. E Rhetorum igitur  
 monumentis compositionis orationis præ-  
 cepta petenda erunt, ut uero petat, ipsa co-  
 git necessitas. Da enim mihi quemlibet iu-  
 risperitum, da quemlibet in agendis causis  
 exercitatum, is, nisi ut membra in corpore  
 connexa hæret, ita orationis quoque suæ me-  
 bra coniunxerit, gratiam merebitur nullā,  
 immo uelut insanus exhibabitur, explo-  
 detur, nec iniuria. Quis enim non exhibet,  
 quis non explodat eum, qui inter dicendū,  
 adeo solæcicis omnia confundat, hyper-

## DE ARTIBVS.

batis omnia perturbet, uerborū traiectioni-  
 bus omnia obscuret, adeo sine periodorū  
 cura omnia cōsarcinet, ut neq; quid dicat,  
 neque quod primum, nec quod ultimum  
 sit, uel in iudicandis scriptis naris emunctis-  
 simæ homo olfaciat? Audiui ego non ra-  
 ro iuriscōsultos a causa excidisse, quod cō-  
 positionis in causa proponenda, ueluti Me-  
 garensiū, ut Græci dicunt, nullū respectū  
 habuissent, habendam autem esse iuricon-  
 sulto compositionis rationem & argumen-  
 tis e iure deriuatis comprobare possum. l.  
 prima. C. de executione rei iudicatæ, tradi-  
 tur etiam atq; etiam prospiciendum, ne ut  
 pleriq; uestem inuertunt, ita ordo petendi  
 in libello (sic enim uulgo uocatur actio for-  
 rensis) inuertatur, & prius petatur senten-  
 tiæ satisfieri, quam ea sit lata in. l. precibus  
 C. de impuberum & aliorum substitutioni-  
 bus in. l. ut rñsum. C. de transactionibus,  
 monentur causidici ne libelli peroratio sa-  
 cti narrationem præcedat, quæ omnia saci-  
 declarant iuriscōsulto compositionē ora-  
 tionis obseruandam ut quod maxime. la-  
 ctatur & illud inter iuriscōsultos, libellum  
 non uagum, non obscurum esse debere.  
 Sed quomodo causidicus id effugere pote-  
 rit? qui nullis compositionis præceptio-  
 nibus

O R A T I O

nibus ex Rhetorum scholis instructus, in fo-  
 rum prorumpit: An uero aliquis iter factu-  
 rus, nullis uiarum erroribus implicari ua-  
 let, qui a nemine uias illuc quo contēdit du-  
 centes, perdidicerit. Nemo opinor hoc di-  
 xerit. Non igitur is, quisquis tandem est,  
 causidicus in actionibus insituendis, ue-  
 lut nostrates loquuntur in libellis formādis,  
 non extra causæ limites euagari, & ut in  
 prouerbio est, *ὡς τὰ ἱσκαμμενία τῶν*  
*ἄλλων* nō potest, si nullis Rhetorum de cō-  
 positione orationis præceptis adiutus quo-  
 cūq; eum desert mētis tempestas, desertur.  
 At qui nam potest is actionem suam & illu-  
 strare, & perspicuam reddere qui sine ordi-  
 ne omnia quæcunq; impetus quidam sug-  
 gesserit, citra delectū effundit. Opinor o-  
 ptimi auditores, satis superq; manifestum  
 esse, quam & elocutionis & compositio-  
 nis præcepta ei, qui aliquando iure usus  
 sit, prodesse queant. Porro nec illud iuris  
 candidato omittēdum erit, ut id quod iam  
 quam potuit aptissime elocutus est, & dili-  
 gentissime digessit, cum grauitate quadam  
 pronunciet. Vita enim orationis, pronun-  
 ciatio est, adeo ut oratio quamuis elegans,  
 quātumuis ordine suo disposita, iaceat, nisi  
 pronūciatione extollatur. Hinc est opinor,



DE ARTIBVS.

quod Demosthenes interrogatus, quid primum, quid secundum, quid tertium in eloquentia esset, pronūciationem esse affirmavit. Et cum iurisperitis non raro & ad populum, senatum, principes, reges uerba facienda sint, turpiter se dabit si non pronūciandi rationem certam teneat, nec uero tenere potest, si non uel Ciceronis hac de re accuratissime scriptos libros, uel Fabij hac de re copiosissime scripta monumenta tantū nō contriuerit. Denicq; ut Crassus apud Ciceronem memoriam in oratore, ita & nos in iuriconsulto requirimus. Nā ut illi turpe quondam erat, e commentarijs dicere, ita nec huic honorificū futurū est, e breuiarijs causas suas agere. Taceo hic, quod siue quis actoris siue rei partes tueatur, sub inde quæ ab alterutro eorum dicuntur, memoriam insigenda sunt, ut ordine quo dicta sunt referre queat. At nullis melioribus rationibus iuriconsultus memoriam iuuare potest, (nisi forsitan memoria a natura ei cōcessa sit, cui hac in re præceptis non admodum opus est,) quam ijs, quibus Cicero & Fabius iuuandam præmonstrant. Quis tā optimi auditores non intelligit, quam compendiarium uia, Rhetorices præcepta probe perspecta, ad iuris ciuilis studia præmūniant.

O R A T I O

niāt. Nec uobis imponant isti ut omniū bonarum artiū ita Rhetorices hostes acerrimi, qui hæc, quæ iam ex Rhetorum scriptis petenda esse dixi, e nescio quibus Rhetoricis Germanice scriptis depromi posse obganuiuerint, homines istos ualere sinite, qui quum rectam, & quæ compendio ad iuris Ciuilis studia perducit, uia ingressi sunt nūquam, omnes alios in eisdem uiarū Meandros inducere conantur. Sed de Rhetorica satis, ad dialecticam oratio mea dirigenda est, quæ quum omniū literarum studio sis, tum maxime iuris candidato frugifera existat, me attentis, uti cepistis, auribus audite. Primo omniū uix crediderim omnes uos quotquot iuris prudentiæ studijs initiari cupitis, hoc nomine initiari, ut tātum in foro uolitantes etiam frusto panis, uti ueldi canis uel taceatis cōducemini. Id quod Iquā sordidū & fuerit olim, illud poetæ liquido monstrat. Turpe reos empta miseros defendere lingua, Quod faciat magnas turpe tribunal opes. Et Dinus, ut erat eius seculo hominum captus, interpret non uulgaris in regula, Infamibus, de regulis iuris in sexto. Eorum, qui foro adfixi sunt & quāta liber data mercedula linguā prostituūt abiectissimam sortem esse scribit. Nō opinor

## DE ARTIBVS.

hac gratia solum in ius ciuile incumbitis, ut  
 tandem in principum, regūq; aulis regner-  
 tis, quādo, ut in prouerbio est, paucis adeo  
 contingit adire Corinthum. Hoc uero, ut  
 mea fert opinio, nemo non uestrum expe-  
 tit, & nemini non uestrum, si modo inge-  
 nio mediocri uigeat, eruditione polleat,  
 obtingere potest, ut ius Ciuile quod doce-  
 re, ut inquit Cicero, semper honestum fuit,  
 aut in publico profiteatur, ut priuatim cō-  
 sultus edoceat. At ut & scēliciter & dextre  
 illd̄ uel publice uel priuatim edoceat, diale-  
 ctica sola opitulabit, ut quę methodū quā-  
 dam docendī certissimam prēmōstrat. Ni-  
 mirum ut res de qua dicendū sit, primū cer-  
 ta finitione explicetur. Deīde, si multiplex  
 existat, ut aut in suas partes distribuatur aut  
 in species diducatur. Ad hæc ut officia uel  
 quomodo Aristoteles uocat, τὰ ἰσὰ &  
 partium & specierum ostendātur, tū in qui-  
 bus distributa & diuisa uel conueniant uel  
 pugnent, aperiantur. Denique cum & res  
 ex suis causis probe perspiciātur, & in in-  
 tellectum incurrant, dialectica & rerum cau-  
 sas quibus & iurisconsulti, uel Cicerone in  
 Topicis teste, uti consueuere auditoribus  
 enodari iubet, qua docendī ratione, quid  
 melius, quid exactius uel dici uel excogita-  
 ri potest.

O V R I A T T I O

ri potest: siquidē hoc modo fit, ut rei, quæ  
 nobis caliginem ob mētis oculos effundit,  
 naturam & uim totam certissime & clarissi-  
 me cernamus, & hīc est opinor, quod Ari-  
 stoteles illam de qua iā dixi docēdi rationē,  
 τὴν ἀπὸ λέξεω uocat, quod uix ullus geo-  
 meter suas apodixes, uti uocant certissimas  
 qualque euidētius oculis exponere potest,  
 quam illa dialectica docēdi methodus re-  
 rum, ut de quibus differitur, uim et naturā,  
 partes, officia ob oculos ponit. Exant hu-  
 ius docēdi rationis non parum multa exē-  
 pla in illis Pandectarum centonibus, quos  
 Iustinianus noster iuris Ciuilibis instaurator,  
 uel ut mihi uidetur, abbreviator potius ex  
 septem & triginta iurisperitorum uerbis  
 consarcinari procurauit. Quoties enim si-  
 nitionibus ex proprijs fere constātibz uo-  
 ces explicantur, quoties uoces πολυσήμοα  
 diuiduntur, quoties partium concordia iu-  
 xta discordiā ostenditur, quoties causæ re-  
 rum euoluuntur: ex quibus omnibus res  
 quæ disputatur adeo intelligibilis redditur  
 ut Strepfiade illo Aristophanico idocilior  
 sit oportet, qui eam non capiat, non intelli-  
 gat. Ecōtrario si illa dialectica apodixis in-  
 ter docēdum non adhibetur, fit, ut ea quæ  
 natura perspicua sunt, obscura uideantur,

## D E A R T I B V S .

& quæ quis optime intelligit, nūquā tamē  
 ut alij intelligant, efficere possit, tum quod  
 longe omnium molestissimū est, omisso di  
 dactico genere, sæpe ea adferuntur, quæ ut  
 in Græcorum prouerbio est, neque cœlū,  
 neque terram attingūt. Hinc est, quod ple  
 riq; iuris interpretes, tam cōfusanea & u  
 multuaria glossematā pulcherrimis Pande  
 ctarum libris illiuerunt, in quibus, etiam  
 si rumparis, quid primum, quid ultimū sit,  
 non reperiēs, dum enim deserta uel potius  
 ignorata illa quā Dialectica præscribit, do  
 cendi ratione qsq; ut argutus aut ingenio  
 sus uideretur, aut potius chartarum iacturā  
 faceret, suum quoddam docendi institutū  
 secutus est, contigit, ut cum multa præcla  
 ra legibus sint constituta ea iurisconsultorū  
 ingenijs pleraq; corrupta ac deprauata ha  
 beantur. Nec uero hac in re exemplis ad  
 modum opus esse existimo, consule inter  
 pretes, quos prius peperit seculum, & ple  
 na exemplis erunt omnia. Et hætenus qui  
 dem docuimus Dialecticam ad docēdau  
 ra & priuatim & publice plurimum emō  
 lumentū suppeditare, ut quæ certissimam  
 quandam docendi regulam & gnomonā  
 præmōstret. Quod si uero nō aut in publico  
 ius exponas, aut priuatim consultus iuris  
 nodos

## O R A T I O

nodos enodes, sed uel in foro iudicū pre-  
 ptas subsellia, uel p̄icipi cōsilio p̄stō ad  
 esse cupis, Deus bone, q̄ta tibi, & ad agē  
 dū causas & ad consilia dāda fenestra aper-  
 ta erit, si illud dialecticum docendi filum se-  
 quaris. Sic enim futurū est, ut iudex causam  
 quam agis, intellectu comprehendat, in-  
 tellectu comprehēsam, memoria cōplectā-  
 tur, memoria complexam secum quam ac-  
 curatissime expendat, & ubi expenderit,  
 sententiā iustam ferat. In consilijs, illa diale-  
 ctica apodixis effecerit, ut quid aut suadeas  
 aut dissuadeas sciri possit, & ubi quid uelis  
 constiterit, huc illuc calculis motis & subdu-  
 ctis rationibus, quod optimum est, arripia-  
 tur. Præterea cum iuriscōsulto id quod pro-  
 posuit argumentis confirmādum sit, argu-  
 menta tenere qui poterit, si locos Diale-  
 cticos in quibus argumenta non aliter la-  
 tent, atq; in conchis gemmæ, probe perspe-  
 ctos habet, unde Antonius apud Cicero-  
 nem, his qui de re aliqua dicere uolunt lo-  
 cos istos dialecticorū adeo penitus cogni-  
 tos esse uult, ut quemadmodum scribentis  
 bus ultro se literæ offerūt, nec diu in aliquo  
 commentario figuræ literarum quærūtur,  
 ita efficiendum esse ut hi loci, quos dialecti-  
 ca mōstrat, ultro nec procul quæsitī in oca-  
 los incur

DE ARTIBVS.

los incurrant quæ statim moneant & ostendunt, quid de re maxime aut quæri aut dici oporteat. Ad hæc quæ isti loci iuriscōsul-  
 to necessarij sint, Trebatius iuriscōsul-  
 declarauit, qui cum se sine istorum locorū  
 cognitione iuriscōsulti partes tueri non  
 posse, prouidisset, Ciceronem etiam atque  
 etiam rogauit, ut hac de re, aliquid in eius  
 gratiā scriberet. Quid cōmemorem quod  
 & Baldus inter interpretes iuris non in po-  
 stremam classem reñciendus, de locis illi  
 quid ab se scriptum reliquit in. l. conuen-  
 ticula. C. de episcopis & clericis. Nec fer-  
 cisset uir ille nisi locorum cognitionē adeo  
 necessariam iuriscōsul-  
 to prospexisset. Et  
 ut ad nostram ætatem ueniā, Claudius Cæ-  
 ciuncula iuriscōsultorum nostri seculi ma-  
 gnū ornamentū, et ipse, qua est pruden-  
 tia uir, prouidēs, locorū cognitione opus  
 esse nōs, qui iuriscōsulti esse uelint, librum  
 de locis elegantissimum, & quod Græci di-  
 cere solent, plane lac Veneris spirantem, le-  
 gum studiosis legendum propinauit. His  
 autorib. opinor, ut maxime ipsa res mo-  
 neat doceatq;, facile fidem fecero locorum  
 dialecticorum cognitionem adeo iuriscō-  
 sul-  
 to ad quālibet causam tractandam, nec-  
 cessariam existere, ut uix aqua & ignis, res  
 rum huma-

ORATIO

rum humanarum uisibus tā necessaria sine  
 eiouar an sileam, quod iuriconsultus in  
 aduersariorum argumentis retundendis,  
 laterem, ut dici solet, loturus sit, nisi diale-  
 cticæ gnarus existat. Hac enim instructus  
 ceu instrumento quodā, quid uerum quid  
 falsum sit, dinoscet, ambigua deprehen-  
 det, contraria expromet, minus consequē-  
 tia, minus cohærentia, ostendet, absurda  
 & non concludentia reijciet. Denique ar-  
 gumenta in se torta ueluti hasta in manu po-  
 sita retorquebit. Taceo hic quod iuricon-  
 sultus nō nunquam fortiter & ἐμφατικῶς  
 concludere καὶ ἐλέγχει poterit nisi argu-  
 mētationū quas dialecticorū officina procu-  
 dit, tā exploratas habuerit, quā suos ipsius  
 ungues. Docet alicubi Bartholus in libello  
 instituēdo eā seruandā esse rationē, quā dia-  
 lectica in syllogismis seruandā doceat. Ni-  
 mirum ut narratio facti, uicem maioris pro-  
 positionis defungatur, deinde adijciatur me-  
 dium, quod causam indicet, ob quam peti-  
 tio siue cōclusio libelli uero cōsentanea sit,  
 id quod ut iuuentus intelligat, exēplo uni-  
 co cōprobabimus. Exemplū sic hoc. Nar-  
 ratur, quod Ebucius Cecinnam de fundo  
 suo deiecerit, ecce narrationem, sed nemo  
 de re sua denjciendus est, ecce mediū, quod  
 efficit



## DE ARTIBVS.

efficit, ut petitio probabilis sit. Ergo petit  
 Cecinna se in fundū a quo deiectus est, re-  
 stitui, & Ebutium de ui temere illata condē-  
 nari. Equis uero hac ratione libellum in-  
 stituere poterit, qui non e Dialecticorum  
 libris, quid maior propositio, quid mediū  
 sit, quomodo ex duabus propositionibus  
 conclusio effici possit, prædidiērit, relata  
 sunt in iurisperitorū literas multa de pro-  
 bationibus concludentibus & non cōclu-  
 dentibus. Extant multa de præsumptionibus,  
 quæ omnia si dialectices gnarus sis & re-  
 ctius intelliges, & foelicius usurpabis. Sig-  
 dem dialectica ductus quidam est rationis,  
 quo se consequentia et non consequentia lo-  
 comprehendimus. Quid quod cognitio lo-  
 corum dialecticorum ratio refutandi, scien-  
 tia contexendi argumentationum species,  
 non tantum ei qui uel forensibus actioni-  
 bus distingitur, uel alijs a consilio est,  
 usui erunt, sed ad hoc etiam profuerint, ut  
 si quis in legibus uersetur, argumenta qui-  
 bus lex uel firmatur uel infirmatur, eruere,  
 eruta & ipse obseruare, & alijs ostēdere po-  
 terit, quibus ostensis aliquādo lex aliqua me-  
 lius illustratur, quam si alios super alios in-  
 terpretum cōmentarios coaceruemus. Tū  
 si quis interpretum iuris scholia indagare  
 uult &

O R A T I O

uult & in dialecticis locis detritus est, & ra-  
 tiocinationū formas tenet, sine omni nego-  
 tio, ubi uero consentanea, ubi uero aliena  
 dixerint, quid efficiatur e quolibet, qd cui  
 que consequens sit, quid in interpretibus se-  
 quendum, quid surda aure prætereundū  
 fuerit, deprehendet. Et quod iam dudum  
 me dicere oportuerat, & dialectices cogni-  
 tione discemus, quid genus, quid species,  
 quid proprium, quid accidens, quæ eo fa-  
 ciunt, partim ut uoces angustiores, a minus  
 angustis cognoscamus, partim ne in rerū  
 diuisionibus hallucinemur, existimātes ali-  
 quid in species diuidi, quod secundum ma-  
 gis & minus distribuitur. An nō uero Bar-  
 tholus insigniter lapsus est, in. L. quod Ner-  
 ua. ff. depositi, cum culpam in latissimam,  
 latiore, leuem & leuissimam, tanquam  
 in quinque species diuidit, cum præter diale-  
 ctices iudiciū cōmunis etiā sensus doceat  
 ea quæ secundum magis & minus diuidū-  
 tur nō species diuersas constituere, nisi for-  
 te dū dicimus animal hoc sagax, illud saga-  
 cius, tertium longe sagacissimum, animal  
 hac ratione in certas species diuidi. Aut, ut  
 exemplum aliud adferam, nisi adstruere ue-  
 limus, hoc bonum, illud optimum est, etiā  
 in species esse factam distributionē, possem.

## DE ARTIBVS

& aliorum interpretum errores referre qui  
 dum aut non perpendunt, aut forsità igno-  
 rant quinc; uocum rationes, in rerum disti-  
 ntionibus turpissime labuntur, sed monen-  
 di gratia, unum ex Bartholo exemplum at-  
 tulisse satis, ut reor, fuerit. Prætereo hic ra-  
 tiones finiendi, iudicandi diffinitionibus,  
 quæ quoque nisi ex Dialectices penu, aliū  
 de depromi non possunt. Sed modus ora-  
 tioni sit, sed sufficiant hæc quæ iā comme-  
 morauī, e quibus nemo non, nisi prorsus  
 caudice stolidior sit, haud dubie facile diale-  
 cticam & necessariam & utilem iuriskon-  
 sulto esse, perceperit. Quod si hæc argu-  
 menta, quæ iam attulimus alicui moroso  
 & *Μωρῶ* non faciunt satis, huic Cicero  
 cuius tanta est auctoritas, ut quod Pytha-  
 goricis *ἀυθ' ἰσ' ἔφα* erat, hoc studiosis Cice-  
 ro esse debeat, fecerit satis. Hic de Seruio  
 Sulpitio loquens, hunc in modum Bruto  
 interroganti respōdet. Sic enim, inquam,  
 Brute existimo iuris Ciuilis magnū usum  
 & apud Scæuolam, & apud multos fuisse,  
 artem in hoc uno, quod nūquam effecisset  
 ipsius iuris scientia, nisi eam, præterea didi-  
 cisset artem, quæ docet rem uniuersam di-  
 stribuere in partes, latentem explicare desi-  
 niendo, ambigua primum uidere. Postre-  
 mo habere

O R A T I O

mo habere regulam, qua uera & falsa iudi-  
 carentur, & quæ, quibus propositis essent,  
 quæq; nõ essent consequentiã, hic enim at-  
 tulit hanc artem omnium artium maximã,  
 quasi lucem ad ea quæ confuse ab alijs aut  
 respondebantur, aut agebãtur. Dialecticã  
 mihi uideris dicere, inquit, Brutus. Recte,  
 inquit, Cicero intelligis. Hęc ille, quæ ut  
 nulla alia argumenta adsint, satis superque  
 ostendunt, quam necessaria, quam utilis  
 dialectica ei sit, qui ius ciuile pro eo ac de-  
 cet tractare uelit. Siquidem narrat Cicero,  
 cum Dialectica lux omnium artium sit, iu-  
 ri Ciuili miram lucem inferre, & efficere, ut  
 ea quæ a Dialectices ignaris confuse aut re-  
 spondentur, aut aguntur disertius & euide-  
 tius tradantur. Omitto hic quod & Cras-  
 sus apud Ciceronem necessariam iuricon-  
 sulto citra omnes ambages affirmat. Quis  
 putat uirum tantum id tam libere affirma-  
 turum, nisi res ipsa moneret exposceretq;  
 Cæterum, de Dialectica plus fortassis dixi-  
 mus, quam plerisq; gratum fuit, sed quid fa-  
 cerem; coegit me partim summa artis hu-  
 ius necessitas, partim utilitas, ut de ea plura  
 iusto dicerem, postulat orationis a me insti-  
 tutæ ratio, ut & quam historiarum cogni-  
 tio iurisperito utilis futura sit cõmonstrem.

## DE ARTIBVS

Vnde uero hic dicere exordiar: tanta dicen-  
 di se mihi offert sylua. In titulo de origine  
 iuris ea traduntur a Pomponio, quæ circa  
 exactam historiarum ueterum cognitionem  
 intelligi non possunt unquam. Quid igitur  
 iuris candidatus historiarum ignarus factu-  
 rus est, ubi in istum titulum incidit: an se  
 Accursij commentarijs adiutum iri sperat.  
 Verum n̄ non plus opis ad intelligendum  
 titulum adferet, quam si nihil legat, nisi for-  
 te fabulam illam ab Accursio, nescio ubi ex-  
 ceptam, aliquid momēti habere putamus,  
 de sapiente quodam, quem Græci, ut Accur-  
 sius refert, Romam miserint, exploratum,  
 an Romani digni essent, qui legibus Græ-  
 corum potirentur, cæterum, sapiente illo  
 Romam ueniente, Romanos morionem  
 quendam subornasse, qui cum Thalete illo  
 in publico contenderet ubi uero ad contē-  
 tionem uentum sit, sapientem illum nuda  
 disputare cœpisse, & sublato uno digito  
 unius Dei documētum dedisse, ac stultum  
 suspicatum sibi a Thalete illo, oculorū per-  
 niciem imminere, duos digitos una cū pol-  
 lice sustulisse, & Græcum illum trinitatem a  
 morione concertatore suo ostendi existimā-  
 tem palmam prætendisse, qua omnia nuda  
 & aperta oculis Dei ostenderet. Morio-  
 nem ue

## O R A T I O

nem uero, ne a Græco palma in eius hære-  
ret malis, ueritū pugnum, quasi referiturus  
esset, clausisse. Qua ex re cū sapiēs ille Græ-  
corum, quod & deus omnia palma claudere-  
ret, & Romanos dignos legibus Græcorū  
intellexerit, eum ad suos in Græciam post-  
liminio rediisse. En habetis specimen com-  
mentariorum quæ Accursius ille pulcher-  
rimo illi titulo illeuit, e quibus opinor, iu-  
uenis historiarum quoq; rudis egregie iu-  
uari possit. Quid uero cōmemorē quod  
idem Accursius in uoce uindicias, lupum  
quod aiunt, auribus tenens, nescitan a Vi-  
tello seruo orta sit, an, ut ipse somniat uer-  
ba solennia sint, quibus quondam in liber-  
tate danda homines usi fuerint. Iam si quis  
Accursi similis, hoc est, perque historiae  
ignarus, in istū locum uenerit, eandem cū  
Accursio cantilenam canat oportet. Cæ-  
terum, qui Liuiū in secundo ab urbe condi-  
ta legerit, is intelligit uindictæ uocabulum  
& uindicias a Vindicio seruo quodā indi-  
ce coniurationis filiorum Bruti, & Tarqui-  
morū dictas, qui primus dicitur uindicta si-  
beratus, unde & nomē uindictæ ab illo du-  
ctū præter Liuiū, Plutarchus quoq; author  
existit. Taceo quod in eodem capite Pom-  
ponius quoque iurisconsultus rudem in er-

DE ARTIBVS

rorem conijcere posset, ut qui decem viros  
constitutos esse scribit, qui in Græciâ profe-  
cti nobiles Solonis leges, iuxta Lacedæmo-  
niorum ritus & consuetudines descriptas,  
Romam deferrent, cum tam Liuius quam  
Fenestella (e cuius fontibus bonam partem  
præsentis tituli Põponiũ haussisse quis du-  
bitat) tradant tres tantũ viros, Sp. Posthu-  
mium, P. Sulpitium Aulum Manlium ab-  
legatos ut præclaras Solonis leges & mo-  
res aliarum ciuitatum Græcis percognitas  
Romã transferrent, qui, ubi ita, ut iussi erãt  
factitarunt, tandem decem viros creatos, q̄  
ex illis legibus moribusq; patrijs, Roma-  
nas leges & statuerent, & in tabulas refer-  
rẽt. Sed arenam meritor, quod omnes erro-  
res qui aliquando & a Pomponio ipso, &  
maxime ab Accursio, & sui asseclis cõmissi  
sunt, hystoriarum inscitia ostendere conor,  
Iam cum in uno titulo hystoriarum ignorã-  
tia adeo hallucinatum sit, quid in uniuersis  
Pãdectarum titulis factum esse existima-  
tur? Non male igitur is sibi suisque studijs  
iuris Ciuilis consulit, qui prius hystoriarũ  
cognitionem sibi comparat, quam illa rã  
sublimia studia inuadat. Accedit his, quod  
cum in titulis sæpissime Cæsarũ fiat mētio,  
a quibus leges cõditæ sunt, An non prudẽ-  
ter facit,

O R A T I O

ter facit, qui priusquam in historiarū lectio-  
 ne uerfetur, quo tempore quisq; Cæsarum  
 floruerit, quid præclari gesserit, quas leges  
 condiderit, quam potest diligentissime per-  
 discit, alioquin uereor ne cū Accursio, quā-  
 do de Cæsare aliquo sermo icidit, aut plus  
 quam piscis mutus sit, aut in re minime ob-  
 scura, & ut Græci dicunt, in ipso sole cali-  
 get. An ne uero pudendum est, quod Ac-  
 cursius tantus iuris interpret, tam sæpe ue-  
 lut in salebra hærens ambigit, quinam fiet  
 quod in decretis Iustinianus Constantini fi-  
 lius tradatur & apud alios historicos, si mo-  
 do ullos unquam legit, uno ore Iustinianū  
 Iustini a puero subulci, mox bubulci, po-  
 stremo lignarij fabri ministri filiū, fuisse me-  
 moriæ proditum sit. At ignorat bonus Ac-  
 cursius illum Iustinianum cuius in decretis  
 mentio sit, alium quendam fuisse, postero  
 rem Iustiniano Iustini filio, quorum ille  
 ἔρινότυμος a narium opinor truculētia, hic  
 ἀναλφάκηνος cognomēto dictus esse fert.  
 An uero ferendū in Accursio, qđ in insti-  
 tutionibus. §. illud propriū, ti. de adoptionib.  
 ubi narratur quo pacto Augu. Cæsar nō an-  
 te Tiberiū adoptauit, qđ is Germanicū ado-  
 ptasset tā rustice scribit, diuus Augu. his em  
 orationis floribus ludit, uolebat adoptare



DE ARTIBVS

quendam nomine Germanicum, ignarus  
 quisnam ille Germanicus fuerit. At si histo-  
 ricos consulisset, Germanicum filium fra-  
 tris Tiberij fuisse comperisset. Quid quod  
 & ad hoc historias Cæsarū penitus perspe-  
 ctas esse iuris candi dato, profuerit, ut si le-  
 gem latam a quodam Cæsare in Pandecta-  
 rum libris legerit, ex Cæsare statim quo tē-  
 pore ea lex constituta sit, cognoscat, ea ra-  
 tione & quid Cæsarem ad talem legem serē-  
 dam commouerit, intelliget, & an huic se-  
 culo lex illa congruat, perspiciet. Non em̄  
 mihi displicet si illud in legibus obseruet,  
 quod in canonibus plerique faciēdum esse  
 præceperunt, nimirum ut quo tempore, a  
 quo, ad quos, quibus de causis, leges late  
 sint, etiam atque etiam perpendatis. Siqui-  
 dem ut alia tempora alios mores postulāt,  
 ut alij morbi, alijs remedijs curari uolunt,  
 ita nec eadem secula easdē leges ferunt, nec  
 eadem causæ iisdem legibus trāsigi possūt.  
 Et quod de Cæsaribus a me dictū est, illud  
 quoque in iurisconsultis, in pretoribus, tri-  
 bunis plebis, quorum responsa, edicta, ple-  
 biscita plurima in Pandectas redacta sunt,  
 obseruari uelim. Nimirum ut iurisperitus,  
 quisnam uel iurisconsultus sit, cuius respō-  
 sum legit, quis pretor, cuius edictum repe-  
 rit, quis

O R A T I O

rit? quis tribunus plebis, cuius plebiscita  
 memoriæ prodantur, exploratum habeat,  
 Sed quid? pene præterit quod minime præ  
 tereundum est, historiæ præterquam quod  
 res gestas docet etiam ad uitam tam suam,  
 quam aliorum informandam faciunt, dum  
 uaria uariorum hominū consilia, acta, eue  
 nus, uaria exempla, casus sapientiæ, temeri  
 tatis referunt, e quibus omnibus iuriscon  
 sultus & uitæ priuatim degendæ & publice  
 instituendæ rationes petere potest, ita ut rei  
 publicæ gubernandæ admotus, & se pro  
 eo ac decet gerat, & in cōmune aliorū uitæ  
 recte consulat. Et ut alia historiarum exem  
 pla omittam, qui legerit Fabium Maximū,  
 quod is Publio Crasso rus concedenti de  
 tertio bello punico indicto, de quo remo  
 tis arbitris clam in senatu actum erat, narra  
 rit, grauius a senatu obiurgatū, hic in rem  
 publicam administrandam adscitus tacitur  
 nitatem optimum & tutissimum rerum pu  
 blicarum agendarum telum esse cognoscet,  
 Et prouide, non temere, quæ secreto in se  
 natu agenda sunt, efficienda esse admone  
 bitur, qui in historijs didicerit, olim mino  
 res natu, adeo grandioribus natu honorē  
 habuisse, ut iuuenes die illo quo senatus ha  
 beri solebat, aliquem ex paribus conscri

DE ARTIBVS

ptis, aut propinquum, aut auum patrum  
 num ad curiam deduxerint, & abeuntem  
 rursus reduxerint, is in repub. quoque sua  
 curabit, ut a iuuenta senectæ suus honor tri-  
 buatur, & iuuentus sobrie & modeste uiuat,  
 id quod ad concordiam reip. maximus est  
 gradus. Qui apud historiarum authores le-  
 gerit maiores nati in conuiujs quondam ad-  
 tibias præclara maiorum gesta in uersus re-  
 dacta cecinisse, ut ad ea factis exprimenda iu-  
 uentus excitaretur, is manibus pedibusque  
 contendet, ut ex conuiujs, quæ in repub.  
 cui regendæ præfectus est, agitantur iuue-  
 nes meliores abeant, breuiter in historicis  
 nihil non offenderit, quod ad rempub. be-  
 ne & feliciter constituendam conducere ua-  
 let. Ex his omnibus, optimi auditores luce me-  
 ridiana clarius patere arbitror, quam com-  
 modam uiam ad ius Civile & intelligendum  
 & pro dignitate tractandum præmuniat si-  
 bi is, qui historicos nocturna uerset manu  
 uersetque diurna. Enimuero quam & poeta-  
 rum lectio ad iuris Ciuilis studia magnum  
 aditum aperiat, breuius quam alia commo-  
 strabo, quo ad ea, quæ, ut a me dicantur, in-  
 stitutus orationis meæ cursus postulat, in-  
 hi & tempus & uestra audiendi benignitas,  
 non desit. Sed ad rem, poetarum lectio hoc  
 nomine

O R A T I O

nomine iuris candidato utilis erit, quod ex illis & sententiarum spiritus, & uerborum sublimitas & in adfectibus motus omnis, quibus omnibus iuriscōsulto in causis agēdis utendum est, peti queat. Tum ut iuriscōsultus, cuius aures quotidianis consultorum flagitationibus, assiduīs fori clamoribus pene obsurduerunt dicam, an enectæ sūt, habeat, in quo se recreet, habeat in quo se colligat. Et hac grata Cicero, ut ipse fatetur, iuris Ciuilis & poetarum omniū peritissimus, in poetarum lectione requieuit. Hinc etiā est opinor, quod Modestinus nō contemnendæ autoritatis iuriscōsultus (sic enim eū prædicat Imperator Iustinianus) in .L. ad exhibendum. C. eo. titu. nō tantum poetarum lectioni aliquot horas suffuratus est, uerum etiam periochas in Vergilij libros composuit. Voluit enim uir ille iuriscōsultissimus omniū grauissimis studiorū laboribus fessum, blandis illis Poetarum illecebris aliquādo refocillare. Quid uero commemorem, quod poetarum uersiculi non raro & causis aut probandis aut improbandis, uel Accursio teste, accōmodari possūt. Sic interpres Demosthenis in oratione *τῶν περὶ νεοστειίας* scribit, contendētibz Atheniensibus cum Megarçis

DE ARTIBVS

de Salamina insula, Solonē, uersiculo quodam Homeri causam suā iudicibus approbauisse. Nam cum Homerus scripsisset,

Αἶας Ἀ' ἐκ σαλαμῖνος ἄγει δύο καὶ δέκα νῆας

Quem sic uerto.

Aiax bisseis Salamine ex nauibus ibat

Solonem hunc uersum intercalasse.

Σὺ δ' ἄγει ἵνα Ἀθηναίων ἴσαντο φάλαγγας

Quem sic transpono.

Cecropide statuit quo tū statueret phalanges

Et sic disceptatoribus Lacedæmonis.

Salaminas Megarensibus adiudicatas. An

non uero Imperator Iustinianus in institutio-

nibus titulo de lege Aquilia probaturus

& sues pecudū appellatione contineri quia

gregatim pascantur, Homeri uersiculo ex

Odissea probat, uersum, quia in plerisque

exemplaribus desideratur, adscribam.

Κλαγγὴ δ' ἄσπερος ὄρεσιν ἀνελκόμενάων

Quem uersum sic uertere potes.

Grunnitusq; suum est, stabulatum magnus

obortus.

Idem Imperator in titulo de emptione &

uenditione probaturus permutatione res

emtionem & uenditionem contrahi, eāq;

speciem emptionis & uenditionis uetustissimi

nam esse Homeri testimonio probat, qui

in septimo

O R A T I O

In septimo Iliados aliquam partem exerci-  
tus Græcorum uinum sibi comparasse,  
ait, permutatis quibusdā rebus. Versus si  
quis desiderat sunt hi

ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντ' καρρικομοῶντες ἄχαιοι·  
ἄλλοι μὲν χάλκων, ἄλλοι δ' αἰθωνι σιδήρω.  
ἄλλοι δέ σινοισι, ἄλλοι δ' ἀνρῖσι βόεωσιν.  
ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεωσι.

Quos uersus sic utcumq; uertimus.

Tūc redimūt Græci dulcissima uina comati  
Era illi promunt, ferrū pars altera candens  
adfert, dāt tauros, dāt bubula tergoramultā  
Pars bona ne uinum desit, mācipia tradit.

Iuriscōsultus in. L. Aut facta, in Pādectis  
de poenis, cōfirmaturus exilio uoluntario  
casus fortuitos luendos esse, ex insigni, sic  
enim Iustinianus alias uocat, Homero, cō-

firmat, cuius hi uersus sunt Iliados secūdo.  
ἔνθ' ἐμέ τῶν ἑόντα μενοίπρος ἴξ, ὁππέντες  
ἡγαγον ὑμέτερος) Λαδ ἀνδραποκ]ασίης ὑπὲρ λυγροῦ  
ἡματι τῶν παῖδα κατέκτανον ἀμφιδάμοντες.  
ἡππος οὐκ ἐθέλων, ἀμφὶ ἀσραγαλοῖσι χο-

(λωθείσ.

Et hos uersiculos sic ex tempore uerti.

Tūc puer adhuc me meneetius ex Opoete  
Eles sub uestras duxit quo tempore cedē,

DE ARTIBVS

Committens tristem, puerꝫ Amphidaman  
te peremi,

Prognatum fatuus nolens, sed percitus ira  
Talorum in ludo rabie dementer amara.

Iam satis opinor liquet, olim etiam gra-  
uissimis causis probandis Poetarum uersu-  
culos adhibitos esse. At ne quis putet uel lu-  
stinianum, uel ueteres iuriconsultos, cau-  
sas suas poetarum uersibus approbasse, au-  
dite & glossularios & plerosq; illos iuris in-  
terpretes idē sibi sumpsisse. Est glossa in .L.  
de quæstione in uerbo alienę C. de transa-  
ctionibus, ubi glossularius probaturus le-  
gem, quam in præsentia referre necesse nõ  
est, ut quæ facile in promptu esse queat, nõ  
de liberis, qui de parētum morte inquirere  
solēt, sed extraneis uerba facere, uersiculo  
Ouidij firmat, qui est,

Filius ante diem patrios inquirat in annos.  
Est glossa in .L. unica in uerbis errore  
Calculi C. de errore Calculi, quę Calculi  
album pro meliore die usurpatum, Persij  
probat uersiculo, qui est,

Hunc Macrine diē munera meliore lapillo.  
Est glossa in .L. si creditor in uerbo sep-  
didicisse C. de pignoratitia actione ubi Ac-  
cursius ait (speciem legis qui uolet scire, i-  
psam legem consulat) an sine culpa se peri-  
didisse

O R A T I O

didisse probare debeat sub iudice lis est. Et  
 mox addit uerbum Horatij. Est glossa in ca-  
 pitulo, prudentes in uerbis ut debere ex-  
 tra. de donationibus quæ citans illud do-  
 mini, Beatius est dare, quam accipere, illi  
 co subdit, proinde locum Martialis in Scæ-  
 uolam probra ingerere quod apud omnes  
 esitaret, apud eum uero ederet nemo, uer-  
 siculi si quos iuuat audire sunt ij.  
 Scæuola tu comedis apud omnes, nullus  
 apud te

Alterius siccas pocula, nemo tua.

Aut tu redde uices, aut desine uelle uocari

Dedecus est semper sumere, nilq; dare.

Sed quid uniuersas glossas quæ poetarum  
 uersibus conditæ sunt retexo? Reliquum  
 est, ut & plerosque iuris interpretes poeta-  
 rum uersibus in grauib; rerum disertatio-  
 nib; usos esse commonstrem. Cæterum  
 ne longius quam supra institui, in hac ora-  
 tionis parte uerser, unū illud in præsentia  
 referam. Iason in appēdicibus, quas com-  
 mentarijs Christophori Porci in institutio-  
 num libros assuit, in tit. qui, & ex quibus  
 causis manumittere non licet in .§. in frau-  
 dem creditorū, in quæstionem uocans, an  
 in rebus probabilibus ignorantia censea-  
 tur, responder rerum alienarum probabi-



DE ARTIBVS

libus ignorantia censeatur, respondet re  
alienarum probabilem ignorantiam exisse  
re posse quod nemo re alienarū, nisi ad se  
pertineant, curiosus esse debeat, unde, in  
quit, & illud est Terentiū in Heautontim,  
Tantum a tua re ocij tibi est, reliqua nostris.  
En habetis optimi auditores cur nam poe  
tarum lectio iuriconsulto utilis esse queat,  
siquidem ex illis, exemplo tam ueterum,  
quam recentiorum iuriconsultorum cau  
sarum etiam firmamenta comparare po  
test. Postulat orationis ordo, ut & illas  
duas philosophiæ partes, quarū una, quia  
naturæ a secretis quodammodo est, ἡ φυσική  
altera, quia mores informat, ἡ δίκη appellat  
iuris candidato usui fore doceat. Et ἡ φυσική  
quidem iuriconsulto prodest, quod iuris  
consulto frequenter in ueneficos orationis  
impetus dirigendus est, in quos frigide &  
ridicule dixerit, nisi quibus rebus uenena  
parentur, quomodo homines enecent ex  
ploratum habeat. Ut uero exploratum ha  
beat, ἡ φυσική auxilio fuerit. Non sibi con  
stabit iuriscōsultus, si in mulieres, quæ par  
tus medicamentis abegerūt, orationis mu  
cro stringendus sit, nisi ex τῆς φυσικῆς adi  
tis quibus modis id fieri possit & an fieri ua  
leat ex

O R A T I O

leat exprompserit. Sic Cicero in oratione  
 pro Cluētio non unquam tam diserte, tam  
 prudenter Oppianicum ueneficij reū pera-  
 gere potuisset, si non philosophiæ quoque  
 eius, quæ rerum causas inquirit & docet,  
 gnarus fuisset. Quæ oratio adeo posterita-  
 ti placuit, ut Iurisconsultus in titulo de pœ-  
 nis honorificam mentionem eius facere nō  
 dedignetur. At si in homicidas detonan-  
 dum sit, o quam sudabit iuriscōsultus, si nō  
 cur ex uulnere illato aliquis perierit rationi  
 bus e Philosophiā naturali depromptis do-  
 cere potuerit, glo. in L. prima C. de emē-  
 datione seruorū differit, Quod si quis ser-  
 uum alienum occiderit, eum legi Aquiliæ  
 obnoxium teneri, nisi probare queat, ser-  
 uum illum ex uulnere non obisse, id uero  
 quomodo probare poterit homo eius phi-  
 losophiæ partis quæ rerum archana scruta-  
 tur penitus ignarus. Hic locus de philoso-  
 phiā τῆ φυσικῆ mihi paucis attingēdus fuit,  
 ut & alia quæ adhuc mihi dicenda incum-  
 bunt, pro dignitate exponere possim, pro-  
 ximum uero est, ut ostendam & alterā phi-  
 losophiæ partem, quæ ad mores fingēdos  
 conferat, futuro iurisconsulto oppido fru-  
 giferam fore. Principio iuris Ciuilis scienti-  
 tiam rem sanctissimam esse cōstat L. prima

DE ARTIBVS

ff. de uarijs & extraordi. cog. Proinde & eos qui ei præfunt, sancte integre & morate uiuere decet, ne professionem adeo sanctam, malis suis moribus dehonestent et dedecorent. At quoniam iuriconsultus se optimis moribus exornare potest, hoc est honeste uiuere, alterum non lædere, nam ita mores hominum format Philosophia illa ἡ ἠθικὴ qui hanc philosophiæ partem, quæ mores fingit, uel extremis labris, ut dicitur, attingit nunquam non minus profecto hoc facere potest (si modo prophana cum sacris conferre licet) atque is Christianam uitam instituere ualet, quæ eos libros, qui ad Christianismum informant, nec ipse legit unquam, nec ab alijs sibi enarrari audiuit. Hinc ipso usu comperimus, quam spurce, quam illiberaliter, quam moleste uiuatur a iuriconsultis istis, qui illam Philosophiæ partem, quam Socrates e caelo deuocasse fertur, contempta, illotis quod aiunt pedibus, ad sanctam illam iuris professionem inuolarunt. Accedit istis quod cum ἡ πολιτικὴ una sit Ethicæ pars, quid obsecro iuriconsultus Reipublicæ clauo admotus, in Reipub. se dignum se cerit, qui neque ea quæ Plato, neque quæ Aristoteles τῶν πολιτείας, scripsere, diligentissime et legerit & tenuerit. An domum com-  
mode

O R A T I O

mode administrare poterit, si τὴν οἰκονομικὴν  
 αὐτὸς non legit, aut nec ab alijs recte  
 tractari uidit. Nemo opinor hoc dixerit,  
 Nec igitur δὲ πολιτεύεσθαι pro eo ac decet  
 aliquis qui uerit, nisi uel in illorū libris uer-  
 satus sit, qui politicæ rationes docent, uel a-  
 pud eos egit, quæ eaque in libris τῶν πολιτῶν  
 scripta sunt, factis in Repub. præclaris ostē-  
 derunt. Taceo hic quod iurisconsulto nū-  
 quam non, de æquo, bono, honesto, iu-  
 sto, iniusto, siue causas agat, siue consilijs iu-  
 uer alios dicendum est. Quid enim est aliud  
 iuris prudentia, quam iusti & iniusti sciētia.  
 L. ij. ff. de origine iuris. Proinde plerique  
 iuris prudentiam partem philosophiæ illius  
 quæ a moribus formādis nomē habet, exi-  
 stere affirmant. At uero unde æqui, boni,  
 honesti rationes deriuabit, nisi ex Platonis  
 legibus, nisi ex libris Ethicis Aristotelis, ex  
 quorum scriptis ueteres iurisconsulti mul-  
 ta adeo deprompserunt. Postremo cū sæ-  
 pe necessitas, quæ, ut in prouerbio est, fe-  
 rijs caret, & telum est acerrimū urgeat, ut,  
 quo Reipub. status in tranquillo sit, impro-  
 bos accusemus, uituperio afficiamus, pro-  
 bos laudemus, defendamus. Ad utrumli-  
 bet horum pro decoro tractandum, pluri-  
 mum, in illa philosophiæ parte quæ Ethicæ

## DE ARTIBVS

dicitur, elaborasse profuerit. Hinc enim & uirtutum rationes, propter quas homines laudibus ornamus, hinc uitiorum scaturigines quorum ergo homines insectamur, fluunt. An uero putamus Ciceronem in Verrem, in Vatinium tam uehementer, tam prudenter dicere potuisse, si non ex moralis Philosophiæ libris, uitiorum formas tam probe perdidicisset? An tam splendide, tam diserte Archiam poetam laudibus tollere potuisse existimamus, nisi uirtutum genera ex Ethices monumentis hausisset? quod si hæc mea argumenta alicui non faciunt fidem, ut credat philosophiam tam moralem, quam naturalem iuriconsulto prodesse, huic fidem faciat ipse Cicero, & ipse iuris Ciuilis callentiss. qui in pluribus libris & epistolis testatur dicendi facultatem, quam iuriscōsuldi κτήσθαι dicam an ξένου suam esse affirmat, ex intimis sapientiæ fontibus fluere, & hoc nomine quondam eosdem fuisse, qui & morum & dicendi præcepta traderent. Sed iam tempus est, ut ad id quod in extrema orationis parte mihi dicendum sumpsit ueniam, nimirum tam Latinæ, quam Græcæ linguæ peritiam futuro iuriconsulto admodum & utilem & necessariam existere. Atque hic oratos uolo eos, qui partim temporum iniuria,

## O V R T I O

iniuria, partim præceptorum inopia ne-  
 tram harum linguarum perdiscere potue-  
 runt, ne ægre ferant, me has linguas iuueni-  
 bus commendare. Non enim id à me eo  
 animo fiet, ut senes in ordinē redigam, sed  
 ut quam compendiosa uia ad iuris Ciuilis  
 studia utriusq; linguæ uiatico instructi, per-  
 ueniant, ostēdam, sed ad rem. Hoc uobis,  
 qui Pandectarum libros euoluistis explo-  
 ratum arbitror legū sermone nihil latinius,  
 nihil tersius, nihil politius uel dici uel exco-  
 gitari posse. Quod si quibus Pandectarum  
 libros adhuc per ætatem adire non licuit,  
 ij ex Laurentio Valla, qui in omnium ma-  
 nibus teritur, haud dubie didicerunt, quid  
 de illis libris, quantum ad sermonis cultum  
 attinet, statuendum sit. Nam is in libro ele-  
 gātiarum tertio scribit se relegisse quinquā-  
 ginta pandectarum libros cum quadam ad-  
 miratione, adeo ut primum nescierit, utrū  
 diligentia ne an grauitas, prudētia an equi-  
 tas, sciētia rerum, an orationis dignitas præ-  
 stet, & maiori laude digna esse uideatur. Et  
 prisca, ut idē inquit iurisconsultus quales,  
 quantiq; in eloquendo fuerint, iudicare  
 non possumus, quippe quorum nihil legi-  
 mus, his autem qui inter manus uersan-  
 tur, nihil est mea sententia, quod addi adi-

DE ARTIBVS

miq; possit, non tam eloquentiæ, quam quidem materia illa non magnopere patitur, quam latinitatis atque elegantiae, sine qua omnis doctrina cæca est, & illiberalis præsertim in iure Ciuili, hæc ille. At uero cum tanta sit in legum Ciuilium libris elegãtia & natua sermonis, proprietas, quinã obsecro iuris Ciuilis studijs destinatus, & omnis elegantiae, omnis latinitatis ignarus, aut per se ad plenum leges intelliget, aut ut alij intelligant efficere potest? An q; Atticæ linguæ nõ prorsus gnarus est, Demosthenis, Platonis, Luciani libros recte assequetur? aut ut alij assequantur effecerit? An linguæ Hebraicæ non satis peritus biblia Hebræa probe intellexerit? An, ut & ad uulgarum linguarum Dialectos ueniam, qui Gallice sonare nõ exacte potest, Gallorum scripta exacte interpretabitur? Num qui Germanorum linguam non absolute caller, ea quæ a Germanis uel eloquuntur, uel scripta extant, absolute assequetur? Breuiter an quis scripta qualis qualis tandẽ linguæ cuius nõ ad unguem peritus est, intellectu comprehendet, nemo, ut mea fert opinio, nisi Moricho illo Lucianico stupidior sit, hæc affirmarit. Nec igitur Iuri Ciuili destinatus exacte & adamussim leges intellexerit, si latinis sermonis

## O R A T I O

sermonis nitorem, quo illæ scriptæ sunt, nō  
 adamussim perspectum habet. At hic recla-  
 mabit aliquis, ergo Accursius, Bartholus,  
 Baldus, & si qui sunt aliij inter illos interpre-  
 tes iuris in legum abstrusa nō penetrarunt  
 unquā, quippe qui id quod in confesso est,  
 linguæ latinæ munditiem sibi non compa-  
 rarūt. Audi tu, ego quamuis per ætatē de-  
 tantis uiris fortassis pronuntiare non pos-  
 sum, nec, si possem, in tanta a me dissentie-  
 tium uarietate facerem, quod id mihi inui-  
 diosum nec minus superciliosum in me esse  
 possit, tamen quando hac mea oratione,  
 aliud specto nihil, quam ut prima discen-  
 tium iuuentur studia, non tam iudicis, quā  
 coniectoris personam in me recipiam. Et  
 paucis dico Accursium, Bartholum, Bal-  
 dum, & alios huius gregis interpretes, lin-  
 guæ latinæ ignaros non quidem in legum  
 omnium exegefi hallucinatos esse, id quod  
 partim ingenij fœlicitate, qua olim non pa-  
 rum multi iuriscōsulti effloruerūt, accidit,  
 partim labore infatigabili & improbo, qui  
 cum omnia, ut Poeta ille inquit, uincat, le-  
 gum quoq; difficultates in plerisque lite-  
 rarum latinarum ignaris expugnauit. At  
 multo fœlicius, multo labore minori, fœli-  
 cissima illa ingenia legū adita recludere po-



DE ARTIBVS

tuisse, si naturæ foelicitati, usus quoque litte-  
 raturæ latinæ accessisset, citra omnes amba-  
 ges existimo. Sed cum temporum iniquita-  
 te latini sermonis peritia tam præclaris inge-  
 nijs negaretur, o quã sæpe in Sole, ut in pro-  
 uerbio est, caligarunt & noctem, ut inquit  
 Seneca, in oculis gestarunt: tum quam sæ-  
 pe in legū interpretationibus, ppter latinę  
 linguæ ignorantia, transuersi in nescio quæ  
 a legibus aberrantem sensum, abrepti sunt.  
 Exempla hic referre opus non est, qui uo-  
 let Budei, Alciati, Zasij procerum iuriskon-  
 sultorum nostri seculi scripta elegantissima  
 euoluat, & exempla plura quam in uicinis il-  
 lis barbariei patronis gratum existet, repe-  
 riet. Adhæc Cicero proprietatem sermo-  
 nis iuriconsultis peculiarem esse debere, af-  
 firmat. Quid uero aliud est sermonis pro-  
 prietas, quam latini sermonis mundities &  
 castimonia: hanc dicendo iuriscōsultus nō  
 unquam tuebitur, qui non eam a puero ex-  
 coluerit, perdidiceritq;. Quid uero hic cō-  
 memorem, quod iuriscōsulti, qui latine lo-  
 quuntur, citius legum intelligentiam in au-  
 ditorum animos transfundunt, quam qui  
 adeo barbare dicunt, ut Gotthum quendā  
 dicere credas: Quis enim non citius intelli-  
 git cum, qui bellum, quam qui guerrā ad-  
 esse, qui

O R A T I O

esse, qui inducias datas, quam qui Treu-  
gam concessam dicit? Quis non citius adse-  
quetur, quid proscripti, quid præconio ci-  
tati sint, quam quid banniti existant? quid  
retorquatio significet, citius auditor intelle-  
xerit? quid sit exscribere, describere, exem-  
plum sumere, quam ut plerique loquuntur,  
exemplare, prius intelligitur quid sit exem-  
plum recognitum, quam quid exemplatū,  
collationatum existat. An non uero quis ci-  
tius intelligat, si dicam stipulatio disiuncti-  
ua est, quam si stipulatio alternatiua est, di-  
xero? Mirū, nisi quis prius intelliget, quid  
sit legibus soluere, quam quid dispensare,  
quid thema & propositum uel species le-  
gis sit, quam quid casus existat. Emoriar, si  
non prius iuuenis perceperit, quid profite-  
ri sit, quam insinuare donationem. Quid  
sit æquus, quid iniquus iudex, quam quid  
favorabilis & nō favorabilis. Sed hic quæpiā  
cui latini sermonis elegātia nauseæ est, ob-  
strepuerit. Vin' tu uocabula in scholis iuris  
cōsultorū recepta e suo loco mouere & tol-  
leret? Audi tu, nihil est quod malim, q̄ cum  
omnia studia pristino nitore restituta sint,  
iuris quoque Ciuilis studium in pristinum  
gradum restitui, sed quando plerique qui  
hoc nostro seculo iura profitentur, præter-

## D E A R T I B V S

barbara ista uocabula, in prōptu non ha-  
 bent ulla, boni cōsulendum erit, si quas a  
 suis praeceptoribus didicere uoces, audito-  
 ribus communicent. Cæterū iuuenes, qui  
 ista tempestate, qua omnes bonæ literæ ef-  
 floruerunt, iuri Ciuili se addicūt, paululū  
 elegantioribus uocibus assuefieri uelim, ut  
 aliquādo ubi senes nostri, eis lāpada, quod  
 aiunt, cursu tradiderint, studia iuris in lu-  
 cē ueterem reuocari queant. Porro quod  
 Alexander de Imola quodam loco, eum  
 non inter iurisconsultos numerandum pu-  
 tar, qui non in ore habeat uoces iuriscon-  
 sultis assuetas, hoc est, (sic enim ego intelli-  
 go) qui non communi barbarie cum alijs  
 fruatur καὶ βαρβαρίῃ, mea quippe sentē-  
 tia, perridiculum est, quando consuetudo  
 latine loquentium digna sola sit, quæ a nul-  
 lo non exprimatur, sed illi uiro, quando  
 barbaro seculo florens aliter sentire quam  
 barbare non potuit, condonandum est.  
 Sub hæc, latinæ linguæ peritia, hoc quoque  
 commodi iurisconsulto apportat, ut qui ea  
 imbutus est, syncerius et foelicius iura doce-  
 at. Qui enim latinam linguam docti sunt,  
 hac fere ratione in legum exegeſi utuntur,  
 primo omnium speciem legis auditoribus  
 enarrant, deinde usum legis ostendunt, quod  
 enim

O R A T I O

enim refert te plusquam Myriadas legum in munerato habere, si nullius ufum certū teneas. Postremo, quibus argumentis notheta aliquis utatur, quibus orationis flosculis lasciuiat, indicant. Tum si quid in interprete aliquo primæ classis adnotatum est, quod ad legem faciat, id in loco, & cōmode adducunt. Quod si exempla huius rationis docendi leges requiritis, consulite ea quæ uel Zafius uel Alciatus latinę linguæ callentissimi in leges scripsere, & me uera dixisse comperietis. At scholasticum, inquit, hoc dicēdi genus est, recte scholasticū ais, & quod scholis, meo quidem iudicio non male congruat. Nam illud quod a plerisque in scholis receptum est, ut tunc quisque suo officio se egregie defunctum arbitretur, si uel plus minus mille leges una hora effundat, uel si quod Italis placere uideo, in interpretibus magis quam in legibus illustrādis defudet, non damno quidem, sed prius illud docendi institutum memoriam potius interpretis ostentare, q̄ auditoris progressum nauare uidetur, quando fieri non potest ut auditores tot leges meminisse aut possint, aut uelint. Posterior uero docendi ratio temporis extrahēdo inuēta esse apparet. Sed quid hæc moueo, aut curo, in docen-

DE ARTIBVS

do rationem, quæ cuique optima esse uide-  
 tur, per me licet sequatur. Sed ut eo quo di-  
 gressa est oratio mea redeat, linguæ latinæ  
 cognitionem cum ad alia multa, tum ad sin-  
 cere & commode docendas leges condu-  
 cere dixi, id quod & testatur Cicero, dum  
 Seruium Sulpitium hac gratia eloquentiæ  
 quæ latini sermonis natiua puritas est, as-  
 sumpsisse scribit, ut ius Ciuile facile possit  
 tueri. Hoc quid aliud est, quam ius Ciuile  
 apte docere? Nec frustra idem Cicero, Scæ-  
 uolam præclarum quoque iurisconsultum  
 laudat, quod oratione limatus fuerit, de quo  
 illud dicere solitus erat, Scæuolam iurispe-  
 ritorum eloquentissimum, eloquentium iu-  
 risperitissimum existere. Cur orator ille elo-  
 quentiam in Scæuola laudibus ornaret, si  
 non ea oratori apprime necessaria & utilis  
 foret, quando stultum est aliquid in aliquo  
 laude tollere citra quod quis facile munus  
 suum tueri possit, nec aliquid emolumentum  
 alicui addat. Nec idem Cicero Cathonem  
 iurisperitissimum, in dicendo præstantissi-  
 mum fuisse scripsisset, si nihil momenti, lati-  
 næ linguæ cognitio iurisprudentiæ adiun-  
 geret. Sed quid ueteres iurisperitos tantum  
 recenseo? sunt & nostro seculo Scæuolæ,  
 Sulpitij, Cathones, inter alios uero, (nam  
 omnes

O R A T I O

omnes nominare longū esset) eminet Gu-  
 lielmus Budeus, Alciatus, Vdalricus Za-  
 sius, de primis duobus, non ita multo post  
 dicam, de postremo hic locus exigat, ut cō-  
 memorem. Quanta uero dicendi sciētia,  
 Zasius præstet præter discipulos suos, q̄ eo  
 Friburgi iura publice frequenti auditorio  
 profitente præceptore usi sunt, scripta q̄q̄  
 eius elegātissima, tersissimaq̄ declarāt. Nec  
 mihi credibile est, uirum illum tantis uigi-  
 lijs, tanto sudore, tanto scribendi tædio, nō  
 enim aliter hoc sacrum constat, ut Græcis  
 in prouerbio est, illam suam latini sermo-  
 nis puritatē veneremq̄ redempturū fuisse,  
 si non eam ad iura Ciuilia, & necessariam  
 & commodam intellexisset. Superest, ut &  
 Græcicæ literaturæ cognitionē iuris Ci-  
 uilis candidato oppido necessariam iuxta  
 utilem esse ostendam. Primo omnium bo-  
 nam partem legum Ciuiliū quas in Pan-  
 dectarum libris consutas habemus, e Græ-  
 corum Platonis, Aristotelis, Demosthe-  
 nis, Homeri denique libris collectas, tam  
 manifestum est, quam quod manifestissi-  
 mum. Iam quamuis πῶς τὰ ἀλλοτῆρα non  
 conducit, tamen mire leges intelligibiles  
 reddit, e quibus fontibus emanarunt, com-  
 perum habere. Tum quod nō raro riuul-

DE ARTIBVS

tantum legum in Pandectas deriuati sunt, cū in ipsis authoribus, omnia pleno fluat alueo. Tum quod in nostris codicibus plerūq; lacunas Græcis legibus uacuas relictas comperimus. Quid igitur hic fecerimus, ubi uel leges non integræ, uel prorsus expunctæ inueniuntur? num diuinare poterimus? id quod Accursius subide in studio habet, quid aut relictum, aut omissum sit, si non ipsos authores e quibus leges decerpæ sunt legerimus. Sed agite, exemplis agamus. Callistratus iurisperitus in titulo Pandectarum de nundinis, negociatores & agricolas, & si quod aliud genus hominum est, quod exportat & importat merces, ciuitati bene constitutæ utiles esse ex Platone probat. Verum hic locus in exemplaribus nostris desideratus fuit, nec facile quid sibi Callistratus uelit intelligi posset, nec e quo Platonis libro descriptus esset, facile sciuissemus, si non Andreas Alciatus alter nostri seculi Sulpitius, locum istum ex libro Platonis de legibus secundo restituisset. Est præterea in lege secunda in Pandectis de legibus finitio legis ex oratione Demosthenis, quam in Aristogitonem habuit inserta, si nescio quot annis locus ille ex qua Demosthenis oratione depromptus esset, penitus ignotus

O R A T I O

ignotus fuit. Denique Budeus ille omnium  
 & linguarum et bonarum literarum *θύλακος*  
 unde hic locus e Demosthene decerptus es  
 set, commonstrauit. Accedit huc quod si  
 iurisconsultus Græcæ linguæ peritus sit, &  
 locum aliquem ex Græcis authoribus in Pā-  
 dectis adduci uideat, mox totus ne an di-  
 midiatu locus hic trāscriptus sit, cōperiat,  
 id quod etiā multum opis ad intelligēdam  
 legem suppeditat. Sic ut modo retuli Cal-  
 listratus in titulo de nūdinis Græca quidem  
 Platonis uerba latina fecit, sed is qui Plato-  
 nem legerit, facile uidet, quam pleniore, ut  
 ita dicam, orationis flumine illic omnia ex-  
 uberent, longe enim Plato fusius istum lo-  
 cum tractat, quam a iuriscōsulto tractatur,  
 qui ut breuitati, sic em̄ conijcio, consuleret,  
 ea tantum quæ pro se facerent, e Platone de-  
 cerpsit. Verum lector, qui illa a Callistrato  
 transposita legit, minus quid sibi illa lex de  
 mercatoribus uelit intelligit, quam si in Pla-  
 tone ipso ubertim tractata omnia legerit.  
 Hoc quoque in lege secunda de legibus, in  
 finitione legis e Demosthene trāsumpta ac-  
 cidit, fusius enim & plenius omnia Demo-  
 sthenes, legis finitionem instruxit, quam iu-  
 risconsultus in lege non raro iam a me ad-  
 ducta instruit: & quid sibi finitio legis uelit;



## DE ARTIBVS

citius intelligitis, qui e fonte eam haurit,  
 quam qui riuulo contentus existit. Con-  
 fert igitur iurisconsulto linguæ Græcæ cog-  
 nition, & ad hæc, ut ipsemet suis oculis, qui  
 bus plus fidei, quam alterius adhibetur col-  
 lustret. An loca Græca a iurisconsultis in  
 Pandectarum locis in linguam Romanam  
 transfusa, sarta tecta, quod dici solet, sint,  
 si aliqua mutila & *μείδρα* deprehēdet mox  
 ad ipsos fontes cōtender, ne quid sit quod  
 legis sensum remoretur. Et est hæc nō uul-  
 garis causa, ut mihi uidetur, ob quam Græ-  
 ca lingua nō, qui se iuris Ciuilibus studio desti-  
 nant, diligētissime amplexari, exosculariq;  
 debeat. Sed quid futurum est, si Græcā lin-  
 guā ignores, & in ultimos Codicis libros  
 incidas in quibus tot Græcæ uoces sunt,  
 ut uix tot noctuas *Ἰοβόλας* Athenis fuisse  
 crediderim. Hic sane non plus precii ope-  
 re feceris, quam si in Hebræa biblia incidas,  
 Hebrææ linguæ rudis. Et ut illarum uocu-  
 rum ignorantia in foro in agendis causis tibi pa-  
 rum obesse queat, quanquā hoc nondum  
 prorsus mihi persuasum est, quid enim fa-  
 ciet in foro uerborum, quibus res appellet  
 imperitus? nēpe hoc quod canis in balneo,  
 tamen si interpretis fungaris munere, ridi-  
 culum dicā, an ignominiosum erit, te pro  
 rostris

## O R A T I O

rostris, magna professum, uoces etiã pueris  
 hoc felicissimo seculo, linguæ Græcæ gna  
 ris, cognitæ, prorsus ignorare. Olim Pu  
 blius cõsul, qui se iurisconsultũ uideri uole  
 bat cũ nihil minus esset, tanq̃ testis interroga  
 tus, cũ se nihil scire respondisset, Cicero, ut  
 erat facetus in eius imperitiã iocatus, disce,  
 quæso ait, forsan de iure te interrogatũ pu  
 ras. An non etiam credimus talia scommata  
 nobis, si non in os, at clam obiectum iri.  
 Disce tu iurisconsulte, pene aliter dixeram,  
 prius quid uoces sint, quibus adeo iuris uo  
 lumina refertæ sunt, quam te rerum Ciui  
 lium doctorẽ profitearis. Nec iniuria hoc  
 audiunt isti uocum contemptores, natura  
 enim ita comparatum est, ut rerum scientia  
 citra uocum cognitionẽ constare non pos  
 sit, siquidem cum principe Philosophorũ  
 teste Aristotele, uoces rerum symbola sint,  
 uocibus non perspectis, & in rerum, quæ  
 uoces signa sunt & notæ, cognitione hal  
 lucinemur, oportet. Quomodo igitur per  
 Deum immortalem legem intelliges? si nõ  
 uerba quibus lex utitur intelligas. Quod si re  
 rum cognitio, citra uocum intellectum cõ  
 sistere potest, quo ore, qua fronte Labeo iu  
 risconsultus se plerosq; iuris nodos uocum  
 originae & ratione, non secus ac bipennis

## DE ARTIBVS

Tenedia, ut Græcis in prouerbio est, disse-  
 cuisse, fatetur. Cur igitur iurisconsulti in li-  
 bro de legatis tertio, adeo anxie, adeo ac-  
 curate, iam Græca iam Latina uocabula in-  
 terpretantur? Eradatur ergo titulus de re-  
 rum & uerborū significatione, qui quoque  
 præter uocum Latinarum, iuxta Græcarū  
 exegetim complectitur nihil, sed ualeant isti  
 linguarum & omnis Latinæ dictionis, ho-  
 stes, qui si non succensere uellent, hoc his,  
 quæ iam de necessitate linguæ Græcæ dixi,  
 adderem, non raro totam legis intelligen-  
 tiam in uno Græco uocabulo recte intel-  
 lecto uerti. Est lex tertia, in Pandectis de con-  
 dictione Triticaria, quæ uulgo sic legitur,  
 In hac actiōe, si quæritur res quæ petita est,  
 cuius temporis æstimationem recipiat, ue-  
 rius est quod Seruius ait, condemnationis  
 tempus spectandum, si uero desierit esse in  
 humanis, mortis tempus, sed etiam antea  
 secundum Celsum. Reliqua nostis, ubi pro  
 antea Græcam uocem Alciatus noster re-  
 ponendam esse docet, ἐν πλάτει quasi quæ  
 dicat, latius & non obseruatis iuris angus-  
 tijs, quæ uox nisi reposita sit, totū sensum  
 legis subuertit. Vult enim lex ne illa actio-  
 ne, ita tempus mortis consideretur, ut ad  
 leuissimæ æstimationis symplegadas & an-  
 gustias

O R A T I O

gustias rem contrudamus, sed potius p bo  
 no & æquo æstimationē ineamus, Accur  
 sius dū hanc uocem Græcā hic deesse igno  
 rat, ueluti Protheus ille *πολύμορφος* in uo  
 ce, antea, se in tres formas, nec admodū si  
 bi constantes transformat. In promptu mi  
 hi essent leges aliæ, & quidem plurimæ, in  
 quibus propter unam, aut alteram uocem  
 Græcam exulantem totus legis sensus *ἀνο  
 κῶι καὶ τῷ* miscetur, sed satis sit ex una lege  
 didicisse, in una Græca uocula recte perspe  
 cta, totius legis aliquando proram & pup  
 pim cōsistere, & proinde summopere lin  
 guæ Græcæ cognitionē, ei, qui in legibus  
 uersari uolet, necessariam esse. Taceo hic,  
 quod iuris studio consecratus, nec istas uo  
 ces, quod Græco fonte cadant, quibus etiā in  
 forētibz negotijs utendū est, citra literatu  
 ræ Græcæ cognitionē exacte intellectu  
 rus sit, cuiusmodi sūt paraphernalia bona,  
 chirographū, Apocha, Antapocha, Proto  
 collū, bona Hypothecata, Hypotheca, Tra  
 pezita, signū autenticū, & si quæ aliæ uoces  
 sunt, quibus ut cōfessis Græcis utamur, ne  
 cessum est. Hic dixerit aliquis, harum sane  
 uocum, ergo lingua Græca, iuriscōsultus  
 facile carere potest, cum illas & Rabulæ fo  
 renses ut omnium literarum bonarum, ita

DE ARTIBVS

Græcæ literaturæ imperitissimi, & intelligant, & quam creberrime in ore habeant. Audi tu, homines isti e suis se dignis librorum lacunis ista uocabula utcumq; hauriūt quos si acriter urgeas, ut tibi uocum quibus adeo crebro utūtur, rationem reddāt, nihilo plus dicturi sunt, quam coruus ille, qui Octauio Cæsari ex Actiaca uictoria reuertēti occinēs *χαῖρε καίσαρ*. Quid illud sit, quod ab aucupe summis laboribus institutus, occinuerit, dicere potuisset; hoc ad pecuniam corradendam nihil impedimento est, inquires. Antea dixi mihi in ista mea oratione nihil rei esse cum istis, qui iurisprudentiā sola lucrī cupidine correpti, discunt, si modo discunt, sed cum his qui in hoc omne ocium, in hoc omne reponunt negocium, ut & esse & dici iurisconsulti possint. Valeant igitur istæ auri & argenti hyrudines, & lucris suis ita ut possunt fruantur, iā est opinor satis comprobatum, quā Græcæ literaturæ cognitio, futuris Iurisconsultis pernecessaria & perutilis existat, quod si ut iurisconsultus futurus linguarum cognitionem sibi comparer, hunc opinor mouerit Iustinianus ipse, qui in exordio statim Pædestrarum linguam tam latinam, quā Græcam æter

tam æternas esse optat, nec immerito, uide-  
 rat uir ille, eos qui non utraque lingua ex-  
 culti, ad legum studia irrumperent, oleum  
 & operam perdituros. Quid enim cū tot  
 Græcis legibus, cum tot Græcis uocabu-  
 lis, quæ ubiuis obturbant, faciet iuriskon-  
 sultus, linguæ Græcæ prorsus hospes? Mo-  
 uerit et hunc iuriconsultorum exēpla, qui,  
 ut ex responsis eorum conijcere licet utram-  
 que linguam ex æquo calluerunt. Moue-  
 rint & hunc nostri seculi iuriconsulti, quo-  
 rum qui iuris callentissimi sunt, in utraque  
 lingua insigniter excellunt. Et ut alios omit-  
 tam est Gulielmus Budeus, Iesu bone, quā  
 rara, præter iuris Ciuilis exactam cognitio-  
 nem, in utraque lingua eruditione prædi-  
 tus est. Andreas Alciatus uir, in quo nesci-  
 as maior ne iuris cognitio an utriusque lin-  
 guæ exactissima peritia existat. Cui uero ue-  
 risimile uideat uiros illos, tantis laboribus  
 utriusque linguæ scientiā sibi comparaturos  
 fuisse, nisi eam, ad iura Ciuilia & ualde ne-  
 cessariā & utilem fore præuidissent: si quæ  
 tantorum uirorum exempla non commo-  
 ueant, ut prius in utraque lingua perdiscē-  
 da operam ponat, quā Iuris adita subeat,  
 hunc nescio quid mouere possit. Nec est  
 quod difficultas aliquem ab utraque literaturæ

## D E A R T I B V S

ra discenda abstrahat, & absterreat. Ad hunc  
 modo ingeniū mediocre, adsit amor, qui  
 ut in prouerbio est, musicam docet, utran-  
 que discendi linguam ardens. Accedat præ-  
 ceptor nō omnino imperitus, emoriar, ni-  
 si citius utranque literaturam perdiderit,  
 quam quondam maiores nostri semilatinę  
 miserandam perdiderunt balbutiem. Si  
 quid difficultatis in his linguis perdiscēdis  
 est, in rudimentorum absynthio deuoran-  
 do existit, quod ubi iam deuorauimus, om-  
 nia quę discēda sunt, synere & melle flu-  
 re uidebuntur, sed quid hæc hoc loco? In-  
 tellexistis optimi auditores, quibus literis  
 opus sit ei, qui compendio ad iuris Ciuilis  
 studia prouehi uelit. Intellexistis primo om-  
 niū ei eas discendas artes, quę sermonis  
 magistræ sunt; cuiusmodi est, Grāmatica,  
 Rhetorica, Dialectica. Intellexistis historiarū  
 iuxta Poetarū lectione quoque iurisconsultū  
 instruētū esse debere. Intellexistis iuris scā-  
 didato, duas philosophiæ partes percogni-  
 tas oppido profuturas, quarum una rerū  
 naturas inuestigat, altera ad mores forman-  
 dos facit. Intellexistis & Latinæ & Græcæ  
 literaturæ cognitionem parandam ei, qui  
 inoffenso pede, in iuris Ciuilis campo iner-  
 rare cupiat. Ex quibus obiter imprudenti-  
 am dicam

O R A T I O

nam dicam, an insaniam illorum, qui pue-  
ros uix uagitum oblitos, iuri destinandos,  
putant, liquido perspicitis. Totum ius ex  
intimis artium humanitatis fontibus deri-  
uatum est, & ueterum iuriconsultorum li-  
teræ omni prisca et ueteri eruditione scatet.  
Et sunt, si Deo placet homines, qui & ius  
Ciuile, & prisca illa ueneranda iuriconsul-  
torum placita intelligi posse existimant, etiã  
si quis omnis humanitatis, omnis ueræ eru-  
ditionis ignarus sit, neque uero & illud cõ-  
sentaneum est, quod plærique dicunt, eos  
qui secundum bonarum literarum cogni-  
tionem partam, iuri Ciuili animum adiun-  
gant, raro insignes iuriconsultos euadere.  
Quis Seruio Sulpitio in iure Ciuili Cicero  
nis seculo fuit præstantior? at is sero ad ius  
Ciuile animum adiecit, nec Baldus inter in-  
terpretes iuris, postremus est, siue quis in-  
genij acumen spectet, siue diligētiam in tra-  
ctandis legibus consideret, at & is sero ius  
Ciuile attigit. Prætereo alios innumeros,  
qui quamuis *ὀλίμωθεις* in iure tamen Ciui-  
li insigniter eruditissimi euaserunt. Qua-  
re uos optimi iuuenes ne credite, ne obtem-  
perate illis, qui uos omnium literarum, o-  
mnium linguarum rudes, ad iuris Ciuilis  
studia illiciunt. Cogitate illud Cathonis,



## CONSILIVM DI.

Sat cito, si sat bene, cogitate tum demum  
uobis tempus discendi iura appetisse, quā  
iam in bonis & literis & linguis, solida fun-  
damēta ieceritis, quibus prætermiſſis, nun-  
quam hoc quod cupitis, nempe ut ius  
Ciuille, & recte per omnia intelligatis  
& sceliciter tractetis, consequemi-  
ni, Nobilis em̄ sententia Quin-  
tiliani est, ad nullius rei sum-  
mam, nisi præcedētibz  
initijs perueniri.

D I X I.

FINIS.

SCENDI IVRA

CONSI=

LIVM DE COMPENDIA

ria discēdi iura Ciuilia ratiōe, ad Mau-  
riciū Breunlerum, Iuris utriusq;  
Licentiātū. Authore Chri-  
stophoro Hegen-  
dorphino,

CHRISTOPHORVS HEGEN

dorphinus, Mauricio  
Breunlero S,



VM TV nuper, mi-  
doctissime Maurici, a-  
pud me pranderes, &  
ut inter prandēdum ac-  
cidere solet, de rebus  
uarijs cōfabularemūr,  
tandem de iuuentutis  
nostræ studijs sermo ul-

tro citroq; inter nos habetur, ubi tu inter  
cætera dicebas tibi ualde placere, quod iu-  
uentus hoc tempore ad grauiora studia cō-  
tenderet, nā alios ad Theologiam animū  
adiicere, alios Medicinæ studio se tradere,  
tertios, iurisprudentiæ nomen dare. Ve-  
rum hoc tibi displicere aiebas, quod cū tam

E v

CONSILIVM DI

Theologiæ, quam Medicinæ studiosis multæ adeo, & certè professionem utranq; fœliciter auspiciandi uia a doctissimis quibusq; & Theologis & Medicis præscriptæ sint, nullus inter iurisconsultos nostri seculi certam Iura Ciuilia ingrediendi methodum iuuentuti præmonstraret. Addebas te plerosq; non postremi nominis Iuriscōsultos, sæpe consuluisse, quonam pacto, iuris Ciuilis studia fœliciter auspicianda essent, sed neminem adhuc aliquid certi tibi ostendisse, nec in ratione accedendi iura Ciuilia cōsensisse, nam alium ab institutionibus iuris Ciuilis hoc studium auspiciandum esse consuluisse, alium ab interpretum lectione in hæc studia ingrediendum esse sualisse. Tertium iuris candidatum, ab initio statim professores iuris omnes diligenter audiendos esse, autorem fuisse, breuiter alios aliã quã horum studiorum cursus instituendus esset, uiam monstrasse. Et cum quã es facundia, multorum consilia, quæ, hīs, qui Iuri Ciuili se dedere, uel fuit data, nobis inter prandendum diserte exposuisses, tandem me intuitus, ecquid tu Christophore consuleres, si rogareris a iuvene, ut, dux ei itineris ad ius Ciuile perdiscendum esses. Ego uero in præsentia id quod mihi cōmodum, & rectum uidebatur,

## SCENDI IVRA.

uidebatur, dixi, interim rem mecum altius,  
& accuratius repetens, concepí animo ra-  
tionem quandam, quæ mihi non omnino  
absurda, & Iuris Ciuilis candidato non in-  
frugifera uisa est. Cæterum ut tu istius meæ  
rationis disceptator esse possis, eam in lite-  
ras relata[m] ad te mittere uolui. At ne inter  
legendum rerum turba onerareris, & quam  
fortasse fideliter quàm salubriter his qui Iu-  
ris sacris inaugurari cupiunt consului, di-  
splicere nequeas, in capita quædam uniuersi  
consilij mei, summam redegi.

### CAPVT PRIMVM.

**S** In ulla alia re instituenda animo obu-  
sari debet illud quod nescio, quis tandè  
dixit, deliberandum est diu, quod statu-  
dum est semel, in Iurisprudentiã adeun-  
da animo obuersabitur, quod moneat iu-  
uenem, ut prius secum deliberet, quàm ad  
Ius Ciuile discendum animum adiungat.  
Primo omnium deliberabit secum, an huic di-  
sciplinæ adeundæ maturus sit, tunc uero se  
maturum esse ferat, quando iam omnibus  
bonis literis se exornauit, quando iam Græ-  
cæ iuxta Latinæ literaturæ gnarus est. Ci-  
tra enim bonarum literarum cognitionem,  
citra linguarum peritiam, in legum studia

CONSILIVM DI

nihil nec spe sua, neq; aliorum expectatio-  
 ne dignum effecerit. Marcus Cicero tabu-  
 las legum duodecim omniū philosophorū  
 bibliothecas uocat, quod in his omnis phi-  
 losophiæ partes repositæ & recōditæ sunt.  
 Iam in quinquaginta Pādectarum libris fu-  
 sius & uberius a ueteribus Cæsaribus, &  
 priscis Iurisconsultis partes *Ἀπολογο-  
 γίας* æ expositæ extant. Quod si igitur illæ ta-  
 bulæ duodecim uniuersam philosophiam  
 complectuntur, & Pandectarum libri ex il-  
 lis tabulis ceu fontibus promanarūt, omnis  
 Philosophiæ gnarus sit, oportet, qui in Di-  
 gestorum libris fœliciter uersari uolet. Sed  
 ut quid uelim intelligatur, philosophia mi-  
 hi finienda est. Philosophia non est hoc stu-  
 dij genus, qđ Sophisticas, & quæ Neronis  
 thermas refrigerare possent, nugas perse-  
 quitur, sed Philosophia est artium dicendi  
 morum Ciuiliū, & Philosophiæ cogniti-  
 o, Dictionem, hoc est, orationem tres ar-  
 tes informant, Grammatica, Dialectica,  
 Rhetorica. Grāmatica docet ut uerba uer-  
 bis apte inter loquendum copulemus, ne  
 generibus, ut inquit Cicero, numeris, tem-  
 poribus, personis, casibus perturberur ora-  
 tio. Iam quis negare potest, quin Gramma-  
 tices cognitio necessaria sit Iuris candidato,  
 quippe

SCENDI IVRA.

quippe sine qua, nec uerborum in legibus  
 contextum obseruare, nec ipse ut quod di-  
 cat auditor, assequatur, & efficere potest.  
 Taceo hic de propria & natua cognitione  
 uocum, cuius quoque Grammatica magistra  
 est. Quomodo igitur uoces legū intelliget  
 is, qui e Grammatica uocum significatiōe  
 non unquam perdidici? Rhetorica oratio-  
 nis cultum, & elegantiam docet. Cultus o-  
 rationis in hoc situs est, ut id quod dicere  
 uelimus, nitide, polite & uenuste dicamus.  
 Elegancia orationis est nihil aliud, quam  
 natua sermonis puritas et uenustas. In Iure  
 Ciuili quanto orationis cultu omnia nite-  
 ant, quanta orationis elegantia omnia flu-  
 ant, norunt in, qui Pandectarum libros, uel  
 extremis, ut dicitur digitis, attigerunt. At  
 uero quid faciet in istis libris iuuenis, omnis  
 cultus, omnis elegantiae orationis rudis &  
 expers? nihil profecto aliud, quam homo  
 rusticus in cubiculo uestiū cultissimarum,  
 uasorum Corinthiacorum, rerū omnium  
 elegantissimarum instructissimo facere po-  
 test, mirabitur quidē illum omnium rerum  
 mundum & ornatum, sed illo uti homo his  
 rebus nō exercitus non nouit, sed nec quid  
 artis in re qualibet sit, praescientia intelligit.  
 An non etiam hoc omnis elegantiae oratio

C O N S I L I U M D I .

nis rudi iuris candidato in Pandectarum  
 bris omni orationis supellectile elegantissi-  
 ma, omni natiua dictionis puritate, refer-  
 tissimis usu uenire poterit, nimirum ut  
 miretur quidem ueterum Iuriscōsultorum  
 in dicendo & nitorem, & elegantiam, sed  
 præ ignorantia Latinæ dictionis res quas  
 tantopere admiratur, in usum suum con-  
 uertere nesciat. Tum quid in hac uel ista  
 lege artificij intextum sit, prorsus non asse-  
 quatur, quando ita natura comparatum,  
 ut nemo rei, cuius ignarus existit, artem in-  
 telligere queat. Nec igitur sermonis artifi-  
 cium, nisi sermonis artifex intelliget. Por-  
 ro si Iuriconsulto aliquando, ubi ubi tan-  
 dem sit, ea facienda erunt, in suaue quid &  
 ingratum auribus offundet, si non inescen-  
 darum aurium illecebras, quæ e Rhetoricis  
 discuntur, perspectas habuerit. Quid com-  
 memorem hic, quod admodum diserte &  
 distincte, res uniuersæ in legibus tradantur  
 id quod iuuenis Dialectices imperitus nun-  
 quam quoque intelliget. Dialectica est enim  
 ars, qua ea quæ diserte & distincte tractata  
 sunt cognoscimus. Accedit huc quod in le-  
 gum studio subinde probationum iam ἐν  
 τέχνων iam ἀτέχνων fit mētio, has quoque  
 nec assequetur, nec pro dignitate tractare  
 poterit

SCENDI IVRA.

poterit iuuenis, qui Dialecticam nunquam  
 uel, ut in prouerbio est, & limine salutauit.  
 Etenim Dialectica est organum quoddam,  
 quo & argumentorū formas intelligimus,  
 & recte argumentis uti ualemus. Et hic qui  
 dem est tam Rhetorices, quam Dialectices  
 usus in legibus ipsis tractandis. Quid uero  
 Iuriconsultus Dialectices rudis ager, uel in  
 foro, uel in concione ad populum habenda,  
 uel in consilijs dandis, certe confuse &  
 ut impetus quidam mentis dictat effundet  
 omnia. Nec aut quid ipse dicat, si subito  
 dicendum sit in promptu habebit, nec  
 quid dixerit, alij intelligent. Nec iniuria si  
 quidem illius artis expers est, quæ statim  
 quid de qualibet re dici debeat, & quo ordine  
 ut intelligatur dicendum sit, commonefrat.  
 Venio ad Ethicem, cuius adeo Pandectarum  
 libri referti sunt, ut mirer alicui iuueni  
 tam parū esse frontis, ut philosophiæ  
 moralis nudior quam leberis carniū est,  
 Ius Ciuile attingere audeat. Et audi, Philosophia  
 moralis uirtutum cultū docet, regna,  
 urbes, domos, familias, homines denique  
 ipsos ad optima quæque informat, & dirigit.  
 Eadem Ciuile ius profitetur. Iuris enim præcepta  
 sunt, honeste uiuere, neminem lædere,  
 Ius suum unicuique tribuere, §. Iuris præ



## CONSILIVM Domini

cepta instituti. de Iustitia & Iure. Quid ue-  
 ro aliud est honeste uiuere, quam uitam o-  
 mnibus uirtutibus excultam traducere?  
 Quid aliud est neminem lædere, quam de  
 omnibus benemereri, male de nullis, re-  
 gno suo contentum esse, & alium e regno  
 suo non ui, non dolo malo exturbare, non  
 alienas domos expugnare, inuadere, non  
 urbibus aliorum uim inferre, eas diripere,  
 ui occupare. At Ius suū cuiq; tribuere, est  
 magistratus uenerari, colere, metuere, ue-  
 ritigal eis persoluere, neminē re sua defrau-  
 dare, unicuiq; ius suum illęsum relinquere.  
 Iam cum Philosophia illa moralis & Ius Ci-  
 uile eadem doceant, multū retulerit in Phi-  
 losophiæ moralis authoribus prius diligen-  
 ter uersatum esse, quam Iuris Ciuillis studia  
 adeantur. Cum quantum ad leges naturæ  
 attinet, e quibus Cicerone authore, omnia  
 Iura Ciuilia emanarunt, illæ certe plenius  
 apud Philosophos, quam apud Iuriscōsul-  
 tos traduntur. Tum quod quid & uirtutes  
 quas præmijs Ius Ciuile ornat, & quid ui-  
 tia, quæ punit existāt, rectius & accuratius  
 philosophorum, quam Iuriconsultorum  
 libri explicant. Cæterum sunt in Iure Ci-  
 uili multa de ueneficijs, de abortionibus,  
 de homicidijs, de causis rerum uariarum,  
 quæ sin-

S C E N D I I V R A .

quæ singula, citra Philosophiæ naturalis cognitionem nec capi, nec tractari possunt. Nam Philosophia naturalis est, quæ causas, energias ueneni, medicamentorum, quibus abortiones excitentur, cædis ex uulnere in flictu factæ docet. Illa est quoque Philosophiæ pars, quæ quid causa, quid effectus, quorum usum, & apud Iurisconsultos esse testatur Cicero, commonstrat. Necessaria igitur Iuris studioso huius Philosophiæ partem cognitionem existit. Enimuero cum in Pandectarum libris, aliquando Platonis, aliquando Homerî testimonium, ad leges roborandas adducatur. Cum omnes Digestorum libri adeo Græcis uocibus plene sint, ut uix Athenis tot ululæ fuerint, cum subinde & priscis Iurisconsultis, ad Græcorum literas tacite alludatur, Græcam linguam calleat oportet is, qui Iuris Ciuilis aditum pertrare concupiscit, de elegantiâ Latini sermonis, quo leges cõscriptæ sint. Quid multa commemorem? quum antehac dictum sit, Legibus nihil uenustius, nihil latinus existere. Est igitur aliquis, & Ius Ciuile se ad unguem intellecturum speret, etiamsi omnis Latini sermonis imperitus sit. Quis nunc igitur tam stupidus est, ut non intelligat, se tunc maturum Legibus Ciuilibus ad-

## CONSILIUM DE

undis fore, quum totius Philosophiæ,  
 quum tam Græcæ, quam Latinæ linguæ  
 peritiâ sibi compararit. Sub hæc iuuenis  
 Ius Ciuile aditurus cogitet, an uoce, memo-  
 ria, facundia polleat, quæ si in eo desidera-  
 tur, nisi forsitan nūquam in Solem prodia-  
 rus sit, sed semper in umbra secum, aut  
 ἄκᾶζερ, aut consilijs tantum conscri-  
 bendis operam suam impendere uelit, ne-  
 scio an ad Ius Ciuile animum appellere de-  
 beat. Ridetur Iurisconsultus, si in publico  
 agat, & non uoce leui, suauis, flexibili audi-  
 torum demulceat aures. Turpiter se dat Iu-  
 riscōsultus, si Coruino obliuiosior sit, nihil  
 uel ipse memoriter reddere, uel nihil quod  
 ab aduersario dictū est, memoria complecti  
 queat, nūquam se publico committere au-  
 debit is, qui infacundiæ suæ cōsciū est, sem-  
 per enim metuet, ut anceps orationis euen-  
 tus est, ne aut pudore suffusus interfuscescat,  
 aut balbutiendo procerum, qui auscultat,  
 aures enetet.

## CAPVT SECVNDVM.

**N**EC illud Iuris studia aditurus igno-  
 ret Iurisprudentiam à Deo concedi  
 & Dei donum existere, proinde bo-  
 na conscientia eam & excoli, & exer-  
 cere posse.

SCENDI IVRA.

ceri posse. Nam cū magistratus à Deo sit,  
 ad Roma. decimotertio, nec magistratus  
 sine legibus officio suo fungi queat, siqui-  
 dem e legibus quæ iusta, quæ iniusta sunt cō-  
 discit, e legibus quæ pœna, quæ præmio  
 digna existunt facta hominum percipit. Le-  
 ges igitur Ciuiles ut quæ partes oēs magi-  
 stratus sunt, à Deo profectæ sunt, et à Chri-  
 stiano quoq; tractari cōsciētia bona queūt.  
 Id quod hac graua moneo, ut e pectoribus  
 quorundam opinionem illam prauam ra-  
 dicitus euellam, qua sibi legum Ciuiliū tra-  
 ctationem & scientiam Christiano homine  
 indignam persuadēt, ut cui Deus prorsus  
 infensus sit, quæ opinio, duo mala parit.  
 Vnum, quod neminem & Christianum &  
 Iurisconsultum esse posse, efficit, unde etiā  
 uox illa nulli non in ore emanauit: Omnis  
 Iurisconsultus male de religione sentit. Al-  
 terū, quod permulti ignari hanc professio-  
 nem a Deo ordinandā esse in hac citra oēm  
 conscientiam prorsus à Deo uoluntatur quip-  
 pe, qui præter unum lucrū quo Iure quaq;  
 iniuria partum, aliud quærunt nihil. Nec  
 deerunt hic sane homines, absq; fronte qui  
 me ridebunt, quod Iurisconsultum piūm  
 quoq; esse uelim. Sed quid meā refert quid  
 impiūm lucrisugæ genus in me deblateret

## CONSILIVM Dis

modo illa Pauli sententia uera sit, ad Rom, decimoquarto. Vnusquisq; uestrum de se ipso rationem reddet Deo. Vnusquisq; dicit Paulus, siue igitur Iurisconsultus es, siue Medicus, siue Theologus de factis tuis tibi rationē reddendā esse certo scias. Proinde unicuiq; ita agēdum erit, ne ubi Dominus nobiscum rationem positurus ueniat, rationem uitæ nostræ reddere non possimus.

### CAPVT TERTIVM.

**R**ECTE monuit quidam dum in qua re finem spectari uult, sic enim fit, ut quis, & de re, cui se dicare cupit consilium capere queat, digna ne sit cui se dicet. Tum sine rei ob oculos obuersante, re aliter atq; æquū est, nō temere utetur. Proinde Iuuenis Iura Ciuilia aditurus, quis eorum finis sit, secū cogitet, et deinde ea uel amplectatur, uel fugiat, & ubi ea iam perdidicit, etiam studeat, ne aliorum atq; debet, Iuribus Ciuilibus utatur. Sunt uero fines Iurisprudentiæ uarij. Vnus est, ut Iuris Ciuilis cognitione parata Rempubicā recte & prudēter gubernare possimus, hūc finem Iurisprudentiæ statuit Iustinianus Imperator in. §. summa itaq; ope, in Præfatione Institutionum. Alius est, ut ad Iuris Ciuilis cogni

SCENDI IVRA.

uili cognitionē, tandem uiduis oppressis  
 subueniamus, pupillis uexatis succurra-  
 mus, quæ opa & Deo adprime cordi sunt,  
 & quæ a nobis in primis exigit, Esaiæ pri-  
 mo, Quærite iudicium, subuenite oppres-  
 so, iudicate pupillū, hoc est, defendite, He-  
 bræorū more, defendite uiduā. Est quoq;  
 & ille Iurisprudentiæ finis, ut nobis constet  
 quid nostrum, quid aliorum, quid æquū,  
 quid iniquum sit. Sic enim Cicero in ora-  
 tione pro Cecinna, inquit. Hoc uobis in-  
 mentem ueniat, nihil esse in ciuitate tam di-  
 ligenter, quam Ius Ciuile retinēdum, etem  
 hoc sublato, nihil est, quare exploratū cui  
 quam possit esse quid suum, aut quid alie-  
 num, nihil est quod æquabile inter omnes  
 homines; atq; unum omnibus esse possit,  
 hæc ille. Iam quod pleriq; Iure Ciuili abu-  
 ntur, & quod ad hominum salutem reper-  
 tum est, ad eorum perniciem & damnum  
 conuertitur, id non Iuri Ciuili, sed prauæ  
 hominū uoluntati imputandū est, nisi forte  
 sacrosanctam Theologiam damnabimus,  
 quod ea, pleriq; Hierophantæ adeo abutun-  
 tur, ut nihil minus, quam quod dicitur ui-  
 deri possit: sed hoc prorsus ex animis homi-  
 num reuulsum esse debet, uti professiones  
 literarum ex prauis hominum abutentium

CONSILIVM DI.

cupiditatibus, uel damnent, uel uituperet;

CAPVT QVARTVM.

**R**ELIQVVM est, ut doceamus, quæ  
nam is, qui Iuri discendo animum ad  
iungit, uel priuatim legere, uel publi  
ce audire debeat. Ego quod mihi cõ  
modum & rectum uidetur, dicam, si quid  
commodius & rectius alicui uisum fuerit,  
huic mea sententia nihil præiudicatum esse  
uolo. Mea hæc est ratio, Iurisconsulto futu  
ro nihil esse melius, nihil conducibilius, q̃  
ut primo omnium institutiones Iuris Ciui  
lis, & priuato Marte legat, & si præcepto  
ris idonei copia est, audiat. Nam cum Fa  
bio auctore, ad summã præcedentibus ini  
tijs non perueniatur, et libri institutionum  
elementa & initia Iuris sunt. §. igitur hi libri  
in proæmio Instit. merito ab illis Iuris Ci  
uilibus studia auspiciantur. Cæterum institu  
tiones illas Iuris, ita a iuueni legi uolo, ut  
simplici uerborum Iustiniani sensu con  
tentus sit, Accursij glossas, quæ sane ma  
gna ex parte optimæ sunt, aliquandiu mis  
sas faciat, id est duobus nominibus, partim  
quod rudimenta prima simplicissime discẽ  
dabilia sunt, partim quod glossæ Institutionum  
utilia quidem multa, sed etiam multa par  
erga &

## SCENDI IVRA.

erga & difficilia producant, quæ rudem  
 adhuc animū multitudine & uarietate onerare  
 & a studio illo prorsus absterre queunt. §. his igitur, Instit. de insti. & Iure.  
 Ad hæc uolo iuuenem tam diligenter, tam  
 crebro Institutionum libros legere, ut nul-  
 lus sit paragraphus in ullo titulo, quin eū  
 melius quam unguis suos teneat, deinde,  
 nec mihi infrugiferum uideretur, ut iuuenis  
 Iuri Ciuili destinatus, titulū de uerborum  
 & rerum significatione diligenter euoluat,  
 legat relegatq;. Nam quando quælibet pro-  
 fessio sua peculiaria habet uocabula, quibus  
 nō perspectis in ea professiōe foeliciter uer-  
 sari possit nemo, nō iniuria titulus ille a lu-  
 ris Ciuilibus candidato studiosissime legetur,  
 nempe e quo uocabula Iuri Ciuili propria  
 consecutus est. Circunfertur uulgo Lexi-  
 con quoddam Iuris Ciuilibus, quod quāuis  
 non omnino indignum est lectu, tamen iu-  
 uenem malim ad fontes statim rerum ab ini-  
 tio contendere, quam circa riuulos conse-  
 nescere. Postremo & illud mihi consultum  
 primis discentium studijs uideretur, ut regu-  
 las Iuris memoriter discat, in legendis regu-  
 lis nolo quoq; iuuenem multum esse sollici-  
 tum quid glossularij adferant, satis sit si re-  
 gulas simplicissime & intelligat, & memo-



C O N S I L I V M D I .

ria teneat. Vbi aliquādo plus uirium in legibus habuerit, tum, si uolet, glossulariorū exegesēs consulere potest. Hæc quæ aliquādiu inuenem Iuri Ciuili se destinantem, quā potest fieri & diligentissime & legere & audire uelim.

C A P V T Q V I N T V M .

**C**ÆTERVM ubi iam in institutionibus in titulo de Rerum & uerborum significatione, in regulis Iuris aliquādiu uersatus est, tum ad Codicem audiendum, si modo præceptor idoneus adsit, uel si præceptor desit, legendum, gradum faciet, in quo hoc primo omnium elaborabit, ut omnium titulorum Codicis Elenchos & argumenta probe cōperta habeat, quo, si de aliqua re sermo oriatur, statim ubi aliquid de hac re conquirat, ei suppediet, & tunc coniunctim tam institutiones, quam Codicem & legere & audire poterit. Tūc quoque tempus est, ut glossas illas, quas ordinarias uocant, adeat, & quam apte, & quā diserte leges uel exponant, uel adducant, cognoscere, id quod non parum ad augendum iudicij acrimoniam, conduxerit. Nolo ut iuuenis statim se interpretum turba coemēda oneret. Si ei interpretes legere in

SCENDI IVRA.

gere in animo est, illa glossarū *Σομνηματα*  
 legat, Bartholo, Baldo, & alijs interpreti-  
 bus legendis, tunc tempus erit, quando iā  
 legibus exercitatus, iudicare queat, ubi in-  
 terpretes legibus, aut cōsentanea aut dissen-  
 tanea scripserint. Alioqui dum quis dili-  
 gentius & prius interpretes, quam Iura Ci-  
 uilia legit, euenit, ut non raro in errorem  
 ducatur, quando nemo negare potest, in-  
 terpretes sepiissime in Legum exegesi turpis-  
 sime hallucinari & aberrare.

CAPVT SEXTVM.

**A**T CVM quis & multam & longā  
 operam euoluēdis et Institutionibus  
 & Codice impendit, tum primum  
 Pandectarum libros, uel ipse leget, uel prae-  
 legi audiet, in quibus legendis hoc quoq;  
 inueniem praestare uelim, ut titulorum ra-  
 tionem habeat, & ad titu. leges quas libet,  
 exigat, ita sane futurum reor, ut ei leges ti-  
 tulorum, intellectu faciliores existāt. Quod  
 si iam interpretes emere uult, emat paucos,  
 & eos quidē selectos cuiusmodi est Bartho-  
 lus, Baldus, Paulus de Castro, Philippus  
 Decius, Zasius, Alciatus, q̄s iudicio quam  
 potest maximo leget, non statim ex Tripo-  
 de, quod aiunt, prolatum esse existimans,

## CONSILIVM DI.

Si quid Bartholus uel Baldus dixerint, sed secum expendat, an ea quæ affirmant cum Legibus congruant, expendant quibus orationibus utantur, qua fide leges legibus concilient. Breuiter in interpretibus legendis iuueni istæ regulæ positæ sint.

### PRIMA.

**I**NCIVILE est nõ tota lege perspecta, aliqua eius particula proposita iudicare, uel respondere. Ex hac regula deprehendet interpretes locis quæ plurimis unum, aut alterum uerbum ex lege quapiam ad aliquid uel confirmandum uel infirmandum decerpere, quod si tota lex perpendatur, uel ex Diametro cum eo, ad quod citatum est, pergnare conspexerit.

### REGVLA SECVND A.

**I**S fraudem legi facit, qui saluis uerbis legis, sententiam eius circumuenit. Hæc regula eo facit, ne iuuenis temere patiatursibi aperta legum uerba in sensum plane alienum detorqueri.

### CAPVT SEPTIMVM.

**V**OLO quoque iuuenem summo studio audire eos, qui iura profitentur. Notum enim est illud Ciceronis ad Trebatium, artem illam iuris lumen & doctorem

SCENDI IVRA.

ctorem requirere, unde & Cicero se in Iure  
 Ciuili M. Scæuola præceptore usum fate-  
 tur, ubi iuuenis e prælectione domum re-  
 dierit, tū hac ratione utetur, primo omniū  
 thema legis & præceptore recte ne an perpe-  
 ram efformatū sit. Deinde an & ad aliā spe-  
 ciem causæ hæc Lex accommodari queat,  
 secum cogitet. Postremo, ubi legem recte  
 intellexit, eam memoriæ mādēt. Et ut hæc  
 obiter moneā, nolo iuuenē se multis uel  
 prælectionibus onerare, uel multis priua-  
 tim legendis obruere, quando memoria re-  
 rum multitudine non raro et hebescit & de-  
 perit. Proinde unam aut alteram horam au-  
 diendis legibus impertiat, pauca legat pri-  
 uatim, quæ audiuit, quæ legit in memoriæ  
 thesaurum reponat. Et ne uel audita uel le-  
 cta excidant, ea subinde & se exigat, succur-  
 rat ei id quod Alphenus scenerator apud  
 Columellam scribit, quamuis bona nomi-  
 na mala fieri nisi admoneas cogitet, quāuis  
 foelici memoria præditus sit, quamuis res  
 bene memoria cōplectatur effugere posse,  
 si non eas subinde quasi se de credito appel-  
 lando, reperat.

Cum uero omnes artes usu & parentur  
 & cōfirmentur, uelim quoq; iuuenē Iuri Ci-  
 uili deditum, aliquot progymnasmata ha-

## CONSILIVM DI

bere, in quibus si quæ uel audit, uel legit in Solem, quod aiunt, ex umbra producere queat.

### PRIMUM PROGYMNASMA.

**S** I IUVENIS inter suos contubernales eiusdem studij emulos uersatur, mox ea, quæ aut auditu, aut lectione priuata, in legibus accepit, in medium profert, & aliorum sententiam ac iudicium de his conquirat.

### SECUNDVM.

**N** ON raro & Iuris Ciuilis candidati conueniant & themata, ueluti malo contentionis in medium cōiecto, inter se digladiantur, & legibus leges oppugnant, leges quæ inter se discordare uidentur in concordiam redigere conentur, quod si ultra uires eorum est, adeant præceptorum, qui disceptationem eorum de antino mijs ortam, dirimat.

### TERTIVM.

**D** isputationibus publicis diligenter se exerceant, in quibus ut recte uersari queant, profuerit Topica Ciceronis studiose legisse, e quibus locos eos petere poterint, quibus instructi recte et facile colligant & ratiocinabuntur.

Quartum

## SCENDI IVRA.

### QVARTVM.

**N**ON parum & illud Iuris candidatis profuerit, si domesticis declamationibus contenderint, ita ut alter actoris, alter rei partes subeat, qua ratione, & ad usum forensem, & in publico agendum magnam uiam aperuerint. Formulam talium declamationum si quis requirit, is ex Alcia to Iurisconsultorum nostri seculi ἀλφᾶ depromat.

### QVINTVM.

**V**ELIM & iuuenes statutis horis quotidie confluerēt, & quod quisq; in legibus in memoriā reposuisset, in cōmune exprimeret, sic & præter hoc quod ipse didicit, usura quoq; eorum quæ aliq; adferrent quisq; per se in Iuris Ciuilis cognitione locupletabitur.

### CAPVT OCTAVVM.

**P**ORRO quando rerum quæ in legibus traduntur tanta est multitudo, ut si uel Symonidem memoria uincas rerū earum meminisse non possis, locos cōmunes instruet iuuenis, in quos, & ea quæ quidiana lectione obseruat, conferat, & e quibus, si quæ exciderint postliminio, in memoriā reponet, & sunt fateor, tituli ipsi

## CONSILIUM DI.

Iuris Ciuilis loci communes, tamen & alij comparari possunt, quorum ut iuuenius gustum quendam habeat, paucos subiiciā.

Locus sit citatio, ille in plures locos diuidi potest, quorum primus est, quādo quis citandus sit. Secundus, quo loco quis citandus sit. Tertius, an citatio die festo facta, aliquid momenti habeat. Quartus, an pars aliqua citra consensum iudicis alteram partem in ius uocare queat. Quintus, citatio peremptoria quid energias habet. Sextus, qua multa afficiendus is, qui peremptorie citatus emanat. Septimus, formulae citandi, & si qui alij sunt loci, qui ex uno loco manant.

Itē, sit locus cōmunis, an rescripta principum contra leges extorta aliquid iurium obtineant.

Item, an creditor pignore debitoris, uti possit.

Item, in qua re Ius Ciuile cū municipali discrepet.

Item uariā uariari ciuitatū cōsuetudines

Item, ubi in lege quadam exponenda, Bartholus ab alio interprete dissentiat, ubi cum alio consentiat.

Item, ubi Bartholus uel Baldus in lege quadam interpretanda, tota, quod aiunt, uia, errarint.

Item

## SCENDI IVRA.

Item, Accursij errata in legū Exegesi.  
Item, concordia Juris Ciuilis & Canonici.  
Possunt, & alij loci innumerabiles parari. Ego hos pauculos monstrasse uolo, ut iuuentutem ad alios instruendos commonefaciam,

## PERORATIO.

Hæc ego mi eruditissime Maurici consulerem iuueni, qui se Juris Ciuilis studio consecrare uelit, hæc si tibi frugifera iuuenibus uidebuntur, quid aliud malim, quam meum consilium ad animi tui sententiā tam belle quadrare, sin tu quædam meliora nosti, fac ea in cōmune adferas, ego quæ mihi in præsentia Juris studioso pdesse possent uidebātur, ea celare nolui.  
Vale.



866650479081

...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

P E R O R A T I O

...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...  
...